56791 D

FLORÆ LIBYCÆ

SPECIMEN

SIVE

PLANTARUM ENUMERATIO

CYRENAICAM, PENTAPOLIM, MAGNÆ SYRTEOS DESERTUM
ET REGIONEM TRIPOLITANAM INCOLENTIUM

QUAS

EX SICCIS SPECIMINIBUS DELINEAVIT, DESCRIPSIT

ET ÆRE INSCULPI CURAVIT

DOMINICUS VIVIANI

IN REGIA UNIV. GENUENSI BOTAN. ET HIST. NAT. PROFESSOR

INSTITUTI REG. LONDIN. MEMBR. HONOR. REG. ACAD. TAURIN. ET STOCKH.
SOCIETATUM NATUR. SCRUT. BEROLIN. ET HELVET. LINNÆANÆ PARIS.
GEORGOPH. FLORENT. ET SENENS. SODALIS.

GENUÆ,

EX TYPOGRAPHIA PAGANO.

MDCCCXXIV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

Quartus jam nunc elabitur annus, quo Doctor P. Della Cella per Africæ-borealis orientales oras itinere peracto, in Patriam redux, plantarum sicca specimina, in Libyæ regionibus lecta, mihi benevolè dono dedit; ratus me fortasse quidquam in his reperturum, quod in Botanices emolumentum converterem: Hisce igitur evolvendis, scrutandisque, quoad academica munera otium concederant, incubui: Specierum minùs cognitarum, vel obscuritate adhuc laborantium descriptiones integravi; quas nondum descriptas comperi, maximâ quâ potui diligentiâ delineavi, æneisque tabulis insculpta comprehendi; ipsa quoque quæ aderant stirpium imperfecta specimina, ne quid in regione difficilimi accessus memoriâ dignum elaberet, haud negligenda esse duxi; cum genere perspecto nihil specimini deerat, quod ad differentiæ notas inter congeneres eliciendas requiritur.

In Synonimorum recensione, ea tantum mihi seligenda constitui, quæ dum speciem confirmarent, in Geographiæ botanicæ incrementum commodè verterentur; cuius recensionis rationem in sequentibus aperiam: reliqua consultò prætermisi; nam sæpius pro singulo synonimo, non nova lux, sed nova potiùs undique accedunt dubia, quibus specierum cognitio, synonimorum illuvie, obruitur. Hisce itaque confectis, regionis hactenus Botanicis omnibus imperviæ Floram, novarum specierum numero spectandam, publici juris facere tandem datum est, quæ tanto affinitatis nexu cum italicâ Florâ devincitur, ut quam in libycis stirpibus agitandis operam consumpsi, non omnem in italicarum specierum illustratione deperditam fore crediderim. Ad illas antequam accedam, nonnulla de locorum naturâ, has Libyæ incolas alentium, adnotare præstat: qui pænitiora expetunt in itineris huius renuntiatione à D.re Della Cella Genuæ editâ (1), haurire possunt.

Tribus, naturâ suâ, diversis locis, Libyæ pars à Clar. Della Cella peragrata continetur: Horum primum à Syrte minori ad Triærum Promontorium usque protensum, veteres Geographi inter extremas Africæ partes Libyæ finitimas adscriptum, *Tripolitanum* nuncuparunt. Totus hic locus, Italiæ meridionali oppositus, à Siciliâ non ultrà 250 m. p. sejunctus, Mediterranei litore, montibusque atlanticis

(1) *Viaggio da Tripoli di Barberia alle frontiere occidentali dell' Egitto, fatto nel* 1817 *dal Dottore P.* Della Cella, *e scritto in lettere al Sig. Professore* Viviani, Genova 1819.

excipitur, qui continuis jugis in orientem tendunt: Prope Tripolim, Palmetis, Aurantiis, aliisque Hesperidum fructibus cultus, vix spontaneis plantis spatium relinquit: Reliqua zona, Atlantis radicibus adjecta, glareis, saxibusque referta, sterilitate multatur. At orientem versùs, colles calcarei ab Atlantis boreali dorso mare versùs procurrentes, Oleæ europeæ præsertim amplissimis sylvis conteguntur, latâ sæpe planitie interstincti, quæ favente cæli temperie, et depressi soli humiditate, virentibus pratis, messibusque copiosissimis vestitur. Hìc media aeris temperies non ultra fortasse quindicesimum Reaumuriani Thermometri gradum adscendit; licèt æstivis temporibus sæpissime ultra trigesimum secundum efferatur: at noctes copiosis roribus, ventisque à septentrione afflantibus, Mediterranei vaporibus imbutis, mirum in modum abruptè temperantur. Hìc locorum, species passim prodeunt à Clar. Desfontanesio in suâ Flora atlanticâ memoratæ; aliæ quamplures intercurrunt, oppositis Italiæ litoribus, insulisque communes, quæ ejusdem regionis botanicæ nexum, per Mediterranei oras excurrentis, apertè demonstrant.

Alteram regionem, quæ à Promontorio Triæro ad montium Cyrenaicæ radicem in ambitum explicatur, *Syrticam* appellavi, quòd eâ totum magnæ Syrteos Desertum continetur. Per hanc ingentem solitudinem, asperitate loci, et aquarum dulcium inopiâ ferè imperviam, mare mediterraneum ad latitudinis gradum XXX cum XVI min. Africæ Continentem pervadit, cuius interior recessus, interruptis hìc atlanticis jugis, cum magno Zaharæ Deserto confluit: quò fit ut aditus ad regionis calidissimæ interranea patescat: Hac datâ portâ magno impetu, et sæpiùs contrariis flatibus ruunt venti, quibus arenæ minutissimæ in vorticem actæ, et fluctuum modò revolutæ, in tumulos aggeresque tandem subsistunt, totamque Syrteos oram undique circumsæpiunt. Hos inter sabulosos aggeres, vastissimæ repunt paludes, lacusque salsi, quorum aquis permeabile solum muriâ imbutum, ad singulares species alendas instruitur, propriis characteribus à reliquis libycis magis abludentes. Huius regionis Floræ facies humilis, vastisque sterilissimis tractibus interrupta: Nulla hìc stirps in arborem adolescit, licèt ferè omnes solis radiis exustæ, ventibusque continuò concussæ, lignescant. Squalor loci non ipso plantarum undique pilis setulisque horrentium aspectu mitigatur; annuarum specierum soboles longè minor quàm peremnantium, quarum singulæ longissimis, simplicibusque radicibus donantur, ut in subiecto hnmidiore solo succum hauriant, arctiùsque terræ infixæ, eiusdem mobilitati resistant: nam rectè de magnâ Syrte ait Sallustius: *Facies locorum cum ventis simul mutatur.*

Tertiam Libyæ regionem, à magnæ Syrteos orientali plagâ ad Catabathmum usque porrectam, *Cyrenaicam* cum veteribus nuncupavi; cuius litoralis zona *Pentapoleos*, et quæ ad orientem Ægypto insidet *Marmaricæ* propriùs nomen obtinuit.

Huius regionis natura à præcedentibus longè diversa; nam tota in montes erigitur, supra Mediterranei litus ad octingentorum circà metr. altitudinem abruptè adsurgentes, lapide calcareo, concharum vestigiis referto, compositos; è quibus frequentes fontium scaturigines erumpentes, subiectæ regioni miram fecunditatem impertiuntur. Hìc amœnæ convalles, cæli tepore incitatæ, irriguisque aquis refectæ, tantâ fructiferorum arborum progenie spontè exornantur, ut veteres Hortorum Hesperidum hìc beatam sedem locatam crediderint. Elatiora verò juga, in vastam planitiem hinc inde depressa, lætissimis pratis virescunt, quibus Juniperi Lyciæ proceræ quaquaversus imminentes sylvæ, jucundissimo admirandæ varietatis spectaculo oculos alliciunt. Hùc Arabes cum immenso pecudum agmine incertis sedibus vagantur, nam agriculturæ non student, majorque pars victus eorum lacte, caseo, et carne consistit. Hæc regio, Cretæ, reliquisque Arcipelagi insulis septemtrionem versus adiecta, occiduisque Aegypti plagis ab oriente contermina, utrisque locis communes alit plantas: Plures aliæ peculiaribus characteribus notatæ suâ se novitate commendant, quas nunc primùm in Botanicorum frugem convertimus.

Quòd si specierum hàc libycâ Florà exceptarum numerus, regionis peragratæ amplitudinem minimè exæquare nonnullis videbitur, in Viatoris nostri incuriam vertere haud properent, quin priùs itineris huius rationem perpectam habeant. Nam D.r Della Cella, Medicinam, et Chirurgiam agens, Tripolitani Despotæ copias per Libyam comitatus, non pro suo instituto, sed in mei observantiam, et veterem consuetudinem, arreptâ occasione, quas potuit undique plantas perlegit. Non enim per inhospitales, et accessu arduas terras iter facienti data fuit potestas, quà vellet vagare, aut consistere. Illud quoque non hìc reticendum, tertiam ferè huius itineris partem, quæ scilicet universam magnæ Syrteos oram respicit, in steriliori totius Libyæ regione versari. Hinc in Viatoris nostri incuriam vertere nefas, si non invenerit, quod soli ægestate defuit. Quòd si in locis ab illo peragratis nonnullæ adhuc, ut in cæteris omnibus Floris, præterlapsæ latitant species, non ideo quas nunc descriptas possidemus, minoris habendas esse contendam, quibus veluti primariis lineis Floræ Libycæ adumbrata facies, cum reliquis adiacentium regionum, Italiæ meridionalis præsertim, comparari potest. Ex quo quantùm emolumenti Botanices Geographiæ sit accessurum, paucis nunc perstringere adgrediar.

Antequam Botanicorum solertiâ Africæ borealis thesauri patescerent, opinio invaluerat, ad Mediterranei oppositas oras appellere suffecisse, ut nova africanarum specierum soboles occurreret, quarum facies cum Africæ ipsius australioribus speciebus, citiùs in scientiâ evulgatis, comparata consentiret. At quantùm à vero recederet hæc opinio, jam loculentissimo Floræ atlanticæ testimonio demonstratum, novis nunc argumentis, hoc Floræ Libycæ specimine, comprobatur. Nam

eædem plantarum familiæ, quæ Europæ australioris litora incolunt, in oppositis africanis et libycis oris, ferè immutatâ facie, revisuntur: Quòd si aliena hinc inde quandoque adparent genera, tanto affinitatis nexu cum jam cognitis europæis generibus sociantur, ut unum in alterum potiùs progredi, quàm abrupto hyatu disiungi videantur. Sic, ex Florâ atlanticâ, Echiochylum ab Echio, Echiodem à Lycopside, Phelypæam ab Orobanche, Anarrhinum ab Antirrhino, Fagoniam à Zygophyllo veluti ex eodem typo fluere videmus. Eadem ex Florâ libycâ generum cognatio patet, si Parentucellia cum Bartsiâ, Diploprion cum Medicagine, Apatanthus cum Hieracio, Della Cellia cum Centaureâ, conferantur. Quæ vero latiori intervallo ab europæis genera recedere videntur, uti Gymnocarpus, Phœnix, Cactus, Mesembryanthemum, Agave, Nerium, Aloe, etc., hæc potius australiorum Africæ regionum extrema veluti familiæ membra habenda sunt, quorum nonnullæ species in italicas quoque oras hospitantes, hìc remotiorem propriæ regionis limitem attingunt, falsò in Linnæi fidem, à Botanicis inter americanas, africanasque stirpes, receptæ. Hinc in corollarium statuere haud dubitamus; nihil in Florâ boreali-africanâ reperiri, quod Europam australiorem non sapiat; uti quotidianâ etiam observatione botanicorum, qui plantis Italiæ meridionalis discriminandis incumbunt, evincitur: vix enim species occurrunt, quæ suas in opposito africano litore non habeant congeneres, cum quibus comparationem instituere necesse est, quò differentiæ characteres tutiùs eruantur. Rectè igitur Clar. Decandollius Crateris Mediterranei incolas, unâ eademque botanicâ regione (1) excipere proposuit: Sanè quidem specierum, generumque affinitates, et progressus, imperfectè nimis, interruptâ naturali serie, dignoscerentur, si quæ natura, nulli habitâ locorum denominatione, coniunxit, in membra discerpere, alienisque partibus compingere auderemus.

Crateris Mediterranei regio, elatiorem latitudinis borealis gradum in Liguriâ cisapenninâ adsequitur; nam prope Genuam huius maris litora, hinc per italas oras, inde per hispanas, provincialesque, obliquo tramite Boream versùs excurrentia, coeunt. In plantis igitur libycis, reliquisque Africæ borealis recensendis adnotare præstat, quæ extremum hunc limitem adsequuntur: eiusdem instituti ratio inversâ viâ servanda in plantarum italicarum limitibus australibus definiendis, quò constet ubinam locorum, meridiem versùs progrediendo, subsistant. Etenim cum pro unaquaque specie hi limites, botanicorum curâ rité definiti in-

(1) V. eiusdem opusculum: *Essai élémentaire de Géographie Botanique*, quod etiam in Dictionario scientiarum naturalium vol. XVIII. gallico idiomate editum continetur. Minùs tamen aptè regionem hanc, quæ tota maritima est, *mediterraneam* dictam fuisse censerem: Hinc eiusdem limitibus rectè definitis, admissis, *Crateris mediterranei regionem* appellavi, quâ denominatione, non huius maris insulæ tantùm, sed adiacentes undique terræ, comprehenduntur.

notescent, plantas in locis intermediis hospitantes notare, supervacaneum esse quisque fatebitur. Satiùs sane scientiæ consuleret, qui species in his locis deficientes indicasset, quàm qui propriis addictas sedibus, in partiales, indefinitasque floras perstringere conaretur.

Per hanc Crateris Mediterranei regionem, Italia sic exporrigitur, ut dum eiusdem remotiores oppositasque plagas in communicationem reddit, plantarum progressum, Floræque in austrum progredientis variantem faciem, patenter exhibeat: Nam obliquo tramite per Mediterraneum in meridiem protensa, adiectâ Siciliâ, australiorem, ipsis oris tunetanis, latitudinem assequitur: At orientem versùs, nullo ferè hyatu à Græciâ disiuncta, in huius regionis Florâ confluit: Quò vero majori distantiâ ab africanis oris recedit, per Corsicam et Sardiniam, recto tramite meridiem versùs interpositas, ipsa Liguriæ litora, à stirpium africanarum consortio minimè segregantur. Quæ plantarum communio, nonnullis exemplis olim à me jam patefacta, continuis deinde peregrinationibus in Liguriâ susceptis confirmata, captâ ex plantis libycis occasione, in censum nunc revocabitur.

Quòd si Crateris Mediterranei Flora, omnibus numeris absoluta, in maturius scientiæ ævum est amandanda, illud tamen in Geographiæ botanicæ spem adnotatum volumus, nullibi terrarum, tantâ summorum virorum et Autoptarum solertiâ plantas suis locis natalibus investigatas, perspectasque fuisse, ut nulla denique huius vasti crateris regio adsit, nullus licèt remotissimus Mediterranei recessus, cuius Floram, vel pœnitus confectam, vel saltem adumbratam scientia non possideat. Nam, ut ab occiduis Africæ borealis oris summariam recensionem ordiar, extremas hasce plagas, Europæ australiori ferè attiguas, assiduis curis perlustravit Schouzboeus: reliquas à ditione algeriensi ad minorem Syrtem usque, adstantesque Atlantis boreales dorsus, tantâ industriâ, et doctrinâ consectatus est ill. Desfontanesius, ut eiusdem Flora atlantica, seu descriptionum veritate, seu iconum fide vix ulli secunda. Hoc Floræ libycæ specimine, tripolitanæ species, et quæ magnæ Syrteos arduos desertos, totamque Cyrenaicam, et Pentapolim incolunt, comprehenduntur, quibus Ægypti Flora clar. Delile studio elaborata, nullo amplius intervallo, ab africanâ-boreali separatur. Syriæ, et Palestinæ plantas, à nonnullis rerum naturalium cultoribus obiter attintas, seduliori indagine rimati sunt Hasselquistius, Pocockius, Oliverius, Labillarderius. Asiæ minoris oras, insulas mari ægæo interspersas, totamque Græciam, jam, ut cæteros omittam, Tournefortii nomine illustratam, duplici itinere adiit Sibthorpius, cuius Flora græca, Smithii auctoritate firmata, iconum venustate græco nomine haud indigna, inter splendidiora scientiæ monumenta meritò recensetur.

Floram græcam Italiæ austro-orientalis Floræ, nullo ferè tractu divulsæ, ex-

cipiunt. Siciliæ plantas, veterum Botanicorum laboribus penè obsolescentibus, exquisitioribus descriptionibus confirmarunt clarissimi Bivona, Gussonius, Preselius, Tinæus, Arrostus, Ucria, Raffinesquius; novamque specierum sobolem in feracissimâ illâ terrâ detexerunt. Neapolitanæ stirpes, præludentibus Cyrillo et Petagnâ, elegantissimo nunc opere, Tenoris studio evulgato, exhibentur. Maris superi recessus, si quid Anguillaræ, Zanonii, Ginanni, Donatique perquisitionibus effugerat, acriori indagine certatim exagitarunt Pollinius, Bertolonius, Morettius, Moricandius, Brignolius, Suffrenius, Sternebergius: agmen claudit ill. Purschenlaghius qui Dalmatiæ species nondum cognitas, purgatissimis tabulis monogrammis exhibuit. Agri Romani, Latiique plantas à L. Sabato leviter pertractatas, coniunctis viribus persequuti sunt Sebastianus et Maurus, è quorum inventis ad etruscas cives jam Michelii, Tillii, Targioniique diligentiâ exantlatis, assiduâ nunc Raddii, et Savii curâ recollectis, progressus aperitur. Etruscorum Botanicorum laboribus haud sterili tentamine adstipulati sumus Bertolonius, et ego; qui repetitis itineribus alpes appuanas, Etruriæ conterminas, subiectumque Lunense litus undique perquisivimus. Ille etiam, dum Genuæ moraretur, plures species huius urbis vicinia incolentes, concinnis descriptionibus, purgatisque synonimis ornatas, evulgavit. Totam ego Liguriam à Macrâ flumine Nicæam usque, sæpius peragratus, rarioribus speciebus, novisque civibus à me plurimis abhinc annis editis, posthac inventas, in solo jam Allionii et Balbisii spicilegiis tentato, in meis *Floræ italicæ fragmentis* adiungere haud morabor.

Ab extremis Liguriæ occiduæ terminis ad Pyrenæos montes præclarissimorum Virorum, ab ipsis scientiæ incunabulis ad nostra usque tempora, latè patuit industria; quorum inventa propriis observationibus sancita, et aucta, in suâ Florâ gallicâ congessit illustris Decandollius. Neque longiùs fortasse abest felicior ætas, quâ hispanas regiones, mari mediterraneo adsidentes, pacatioribus studiis tandem restitutas, Botanici adere non paveant, et extremi huius ambitus Floram, primùm à Clusio, nuper à Cavanillæo et Lagasca delibatam, absolvant.

Cùm igitur crateris Mediterranei plantæ, summorum in scientiâ Virorum autopsiâ, accuratis descriptionibus, elaboratisque sæpius figuris, fuerint illustratæ, descipere mihi visus essem, si aliundè, quàm ex his fontibus in libycarum stirpium confirmationem synonima deduxissem. Quibus tantummodo retexendis eò libentiùs incubui, quòd illo se ordine disponenda facilè præberent, ut speciebus non tantùm firmandis, sed ad regionis limites pro unaquaque specie definiendos, inservirent. Quas igitur omnium Botanicorum, qui crateris huius plantas, peculiaribus provinciis addictas, synonimis stipatas videmus, has non Libyæ tantùm incolas, sed per Mediterranei oram latè vagantes, recognoscimus. Contra cùm nulla ex Floris ex gr.

italicis deprompta synonima adparent, speciem hanc, propriis limitibus extra Italiæ fines contineri, judicamus. Quâ ratione singularum specierum à Libyæ plagis Boream versùs progressus, earumdem quoque in orientali, vel occiduâ Europæ extremitate apparitiones; itemque regionis, quibus singulæ coercentur limites, ex ipsâ synonimorum recensione confestim oculis subiiciuntur.

Dolendum sanè, dum Mediterranei remotiores, et ferè impervias oras, Botanicorum felici audaciâ, perlustratas spectamus, Italiæ ipsius provincias nonnullas, et quidem feraciores, sic leviter perspectas fuisse, ut pudeat classicæ huius terræ stirpes, africanarum sæpe Florarum subsidio, esse explorandas. Apennini juga, quæ ex Abruptiis in Calabrias decurrunt, spicilegiis delibata potiùs quàm accuratâ inspectione perquisita fuisse, asserere haud dubitamus. Neque priùs Botanicos huius provinciæ investigationem explevisse censebimus, quàm arctiorem cum Floræ græcæ finitimis regionibus nexum, per plantarum communionem, vindicaverint. In insulis Italiæ adiectis, Corsicâ et Sardiniâ præsertim, specierum agmen delitescit, quæ an italico potiùs, vel africano jure donentur, rectè ambigas. Hìc, ut et in reliquis insulis, quæ longiùs à Continente removentur, peculiares crateris centro species, propriis veluti sedibus consistunt, quæ in oppositis terrarum oris desiderantur. Hìc tandem in editissimis Corsicæ jugis graniticis, nive ferè perpetuâ obductis, quæ Floræ facies cum Alpium jugis comparata, dignoscere, et earumdem specierum montibus corsis, Alpibusque communium variantis, pro diversâ latitudine, elevationis rationem expendere juverit.

Ne itaque, dum tanto impetu in Floræ italicæ confectionem ruimus, ulla quæso provincia, aut adiecta insula restet, quæ nobis supinam negligentiam, cum nimiâ festinatione coniunctam exprobet, nulla scientiæ pars sit à nobis neglecta, quæ à reliquis exculta tantùm exterarum regionum Botanicæ attulit ornamenti. In Floræ corsicæ spem, me optimum juvenem Doctorem S. Seraphinum instituisse gaudeo, qui nunc in patriam redux, exoptatissimos mihi huius insulæ aperuit thesauros, quibus oppositorum Continentium stirpes, in Corsicam confluere apertissimè demonstratur. Potiora quidem, quæ conterraneam hanc cognationem declarant Sardinia possidet; at, si votis Deus faverit, hos nobis integros accedere fontes, sardisque virgineis stirpibus, in Mediterranei centro hospitantibus, italicæ Floræ sertum conserere licuerit: Nonnulla interim quæ in hisce plantis libycis, insulanis, italicisque agitandis mihi se obviam obtulerunt, ex Geographiâ botanicâ liceat excerpere, et in corollarii modum hìc adiicere: ex quibus, si quid, re apud nos adhuc infectâ, lucis scientiæ affulserit, quantum emolumenti sit accessurum, ubi huic spartæ excolendæ Botanici nostri operam conferant, et sedulò incumbant, facilè quisque perspiciet.

I. Plantarum species Italiam nunc incolentes ad duas præcipue regiones botanicas, veluti ad patrias sedes amandamus: Harum prima est regio alpina, ex qua quaquaversus in subiectas valles, planitiemque effluxerunt: Altera latius patet, et terras omnes meridiem versùs Italiæ obiectas comprendit. Alpinæ regionis incolæ Italiæ boreali transapenninæ, æquè ac Germaniæ communes sunt; reliquæ crateris Mediterranei cives, per italicum litus, adiectasque insulas plus minùs protenduntur, et pro variâ cæli et soli naturâ se mutuò excipiunt.

II. Minimè naturæ consentaneum censemus, Italiam in duas regiones botanicas, nempè *superam* seu borealem, et *inferam* seu meridionalem dispertiri: Nam Liguria maritima, quæ in Italiâ superâ comprehenditur, longè arctiore nexu, seu cæli temperie et facie, seu soli naturâ, seu specierum cognatione cum Italiâ inferâ, adiectisque insulis devincitur, quàm cum regione adverso Apennini latere sitâ, licet longè proximiore, et nullo hyatu seiuncta.

III. Regionum botanicarum nexum non ex proximitate, sed ex propagationi specierum faventibus causis metiri debet: Hinc regiones mediterraneo mari incumbentes, Africæ borealis, et Libyæ oræ, cum insulis interiectis, Italiæque australe latus in Galliam provincialem, hispanasque maritimas plagas productum in eadem botanicâ regione comprehendimus: Huius regionis Flora iisdem plantarum familiis instruitur, quarum genera et species vel universæ regioni communes sunt, vel pedentium variantes eodem veluti typo conditæ videntur.

IV. Species in Alpibus ultra 2000 metr. altitudinem hospitantes in Apenninis ligusticis desunt, quorum (1) maximam altitudinem supra mare mediterraneum, in montibus inter Genuam et Placentiam adsurgentibus per barometricas observationes ad 1847 metr. determinavi: Iisdem quoque alpinis speciebus Gargani, Ætnæ, montiunque Corsicæ juga, licet evectiora, orbantur; quòd eorum major altitudo, elatiore quoque tepore, ob increscentem australiorem latitudinem, temperatur.

V. Triplici viâ plantarum species, oppositas italis oris regiones incolentes, per Italiam protenduntur. I.° È Libyâ et regionibus austro-orientalibus per Græciam, græcasque insulas, Siciliam et Italiam extremam. II.° Ex Africâ-boreali per insulas in mediterraneo sparsas, præcipuè Sardiniam et Corsicam. III.° Ab ipsius Africæ borealis occiduis oris per Hispaniam, Provinciam, et Liguriam.

(1) Liguriæ montium altitudinem à Tanari fontibus in Alpibus maritimis, ad Alpes appuanas, Etruriæ conterminas Barometri ope exploratam habeo. Hìc verò tantùm evectiorem montium ligusticorum altitudinem exhibere præstat, quâ hinc orientali Liguriæ lateri, inde Insubriæ campis imminent. Nempe *Groppo rosso* prope Pagum S. Stephani de Aveto metr. 1690 — *Mussolasca* metr. 1847 — *Penna* metr. 1758 — *Montegoto* metr. 1708 Editissima Liguriæ occiduæ juga, optimo sanè consilio à veteribus geographis ad Alpes maritimas amandata fuerunt, nam immutatâ facie, et soli naturâ continuis jugis ab Alpibus procedunt. Apennini vero originem rectè à Strabone inter Genuam et Savonam sisti, ubi horum montium minima altitudo 400 metr. non adsequitur, alibi mihi demonstrandum propono.

VI. Species quæ ab hisce tribus regionibus per Europam proferuntur, plus minùs pro singularum naturâ Boream versùs accedunt: Hinc singularum specierum sedes latioribus, vel contractioribus limitibus coercetur.

VII. Regiones per quas meridionales species in Italiam propagantur, in Liguriâ confluunt; hinc in hac regione plantæ meridionales altiorem altitudinis borealis gradum attingunt; nam neque Appenninum, neque Alpes maritimas conscendunt.

VIII. Hinc facilè explicatur, quomodo nonnullæ species Africæ borcali-orientalis incolæ, ex Italiâ inferâ Liguriam versùs accedant, et quandoque attingant, neque ultra in occiduam Europæ plagam, licèt australiorem, procedant: *Iris Sisyrinchium*, *Cerinthe aspera*, *Convolvulus tricolor*, *Prasium majus-minus*, *Scabiosa urceolata etc.*

IX. Aliæ contrà ex Africâ boreali-occiduâ per hispanas, Provinciæque oras excurrentes, Liguriam usque attingunt, nondum in orientalibus Italiæ australis plagis observatæ: *Aphyllantes monspelliensis*, *Cneorum tricoccum*, *Teucrium lucidum*, *Elæagnus angustifolia*, *Bupleurum fruticosum*, *etc.*

X. Aliæ tandem ex Africâ boreali per Sardiniam et Corsicam, Liguriam versùs protenduntur et quandoque adsequuntur, licèt neque Italiam australem, neque occiduam Mediterranei plagam incolant. *Scilla peruviana-undulata*, *Iris juncea*, *Orchis acuminata*, *Scroplularia mellifera*, *Ranunculus flabellatus*, *Carthamus creticus*, *etc.*

XI. Eædem species, quæ ex regionibus australibus per utrunque Europæ latus, hinc italicum, inde provinciale et ligusticum, non ad eamdem borealem latitudinem utroque latere elevantur.

XII. Hæ species hanc legem constanter servant, quòd altiorem borealis altitudinis gradum adsequuntur in occiduo Europæ latere, provinciali nempe et italico-ligustico, quàm in orientali-italico. *Coris monspelliensis*, *Nerium Oleander*, *Ferula communis-Opoponax-sulcata*, *Passerina hirsuta*, *Vitex agnus castus*, *Euphorbia dendroides*, *Cistus halimifolius*, *Antirrhinum triphyllum*, *Spartium monospermum*, *Anthyllis barba jovis*, *Cercis siliquastrum*, *Anagyris fœtida*, *Ceratonia siliqua*, *Astragalus bœticus*, *Juniperus lycia*, *etc. etc.*

XIII. Nonnullæ species regioni centrali crateris mediterranei addictæ, in huius maris insulis tantùm, præsertim ab oppositis Continentibus remotioribus, uti Corsicâ et Sardinia, reperiuntur. *Arum pictum*, *Clematis semitriloba*, *Helleborus lividus*, *Arnica corsica*, *Thymus corsicus*, *Rosa corsica* Nob. *Antirrhinum alsinæfolium* Nob. *Sagina urceolata* Nob. etc. etc.

XIV. In Corsicâ et Sardiniâ confluunt nonnullæ species, quæ vel occiduæ Europæ australis, vel orientalis italici lateris tantùm incolæ habebantur. *Saxifraga gēranioides*, *Daphne glandulosa*, *Cnicus syriacus.*

His itaque, quæ ad geographicam specierum africanarum, et italicarum affinitatem

comprobandam dixi, modum tandem facturus, superest ut ea quæ, in hoc opere conficiendo, à me minùs accuratè, aut eruditè dicta essent, Botanicorum humanitati, et indulgentiæ commendem. Quantùm in novis speciebus declarandis, nuper detectarum undique affluentium copia negotii facessat, quantùm librorum jam nunc privatos sumptus excedentium inopia dubitationis pariat, ipsi norunt. Illos tantùm monitos volo, specierum hìc descriptarum religiosè apud me sicca servari specimina, è quibus descriptionum, iconumque fidem recognoscere, speciesque affines, si quæ dubia irrepserint, conferre, cùm libuerit, Botanicorum quisque poterit. Librorum defectui veterum Philosophorum more providi, qui Alexandriam petebant, ut in Ptolomeorum Bibliothecis doctiores fierent. Ego Florentiam adii, ubi Magnus Etruriæ Dux Ferdinandus II longè ditissimam, propriis ædibus Bibliothecam sibi comparavit, in quam cùm optimi Principis, scientiarum omniumque bonarum artium Patroni munificentissimi assensu, aditus mihi benignè concederetur, ex uberioribus scientiæ fontibus quidquid in libycarum stirpium illustrationem verti poterat hausi, et propriis locis adieci.

Libycis stirpibus tandem expeditus, totus nunc ad species nostras me conferam, ut quam olim in meis *Floræ italicæ Fragmentis* pro earumdem illustratione operam me præstiturum promiseram, nullâ ampliùs morâ interpositâ, adhibeam, fidemque solvam. Specierum itaque quarum descriptionem, icone firmatam, in altero *Fragmentorum* fasciculo typis mandare molior, diagnosim, in Prodromi modum, ad huius operis calcem exhibui, ut si quid ex eâ Botanici præsentient, quod in earum proventum seu castigationem possit converti, benevolo mihi animo patefaciant, et pœnitiori plantarum nostrarum cognitioni, et ipsi conjunctis viribus consulant.

Dabam Genuæ Pridie Kalendas Februarii : Anno MDCCCXXIV.

SPECIERUM LIBYCARUM

RECENSIO.

SALICORNIA RADICANS : Caule lignoso, procumbente, basi radicante; articulis compressis, emarginatis; internodiis subcylindricis; spicâ oblongâ; stylo profundè bifido; staminibus binis. *Engl. bot. tab.* 1691. S. herbacea var. β *Smith Fl. brit.* 1. 2. *Viviani Pl. cors. Herb.* (1).

H. in littore Tripolitano, et Pentapolitano.

Obs. Caule basim versùs lignoso cum S. *fruticosâ* quidem congruit, at reliquis characteribus l. c. recensitis sic differt, ut nollem in ejusdem varietatem cum cl. Roem. et Schul. Syst. veg. Mant. p. 55. eamdem recipere.

SALICORNIA FRUTICOSA: *Linn. Sp. Pl.* 5. *Desfont. Fl. atl.* 1. 9. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 1. *Ten. Fl. neap. I.* 2. *Guss. Cat. pl. sic. Seb. et Mau. Fl. rom.* 1. *Bert. Pl. Raven. in amœn.* 237. *Viviani Pl. cors. Herb. Decand. Fl. franç. III.* 497.

H. in littore totius Libyæ.

OLEA EUROPÆA: *Linn. Sp. Pl.* 11. *Desfont. Fl. atl. I.* 9. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 4. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 4. *Savi Alb. Tosc. II.* 128. *Poll. Fl. ver. I.* 6. *Viviani Pl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 449. *Decand. Fl. franç. III.* 497.

H. in collibus Tripolitanis et Cyrenaicis.

Obs. Certò Libyæ indigena; nam nullâ adhibitâ culturâ in ingentes sylvas, arborum proceritate, et frondium virore spectatissimas, propagatur.

PHILLYREA ANGUSTIFOLIA: *Linn. Sp. pl.* 10. *Desfont. Fl. atl. I.* 9. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 4. *Savi Fl. pis. I.* 9. *Zannich. op. post.* 36 *Viviani Pl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 451. *Decand. Fl. franç. III.* 500.

H. in montibus Cyrenaicæ.

(1) Cum nondum publici juris fecerim Plantas à me primùm in Liguriâ inventas, necesse fuit prò specierum Libycarum regione geographicâ sistendâ, cùm nostras quoque terras attingunt, locum natalem ex meis peregrinationibus petere: Quæ Corsicam incolunt, ex speciminibus siccis mihi à D.re Seraphino benevolè missis, recensentur.

PHILLYREA LATIFOLIA : *Linn. Sp. Pl.* 10. *Desfont. Fl. atl. I.* 8. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 4. *Ten. Fl. neap. Poll. Fl. ver. I.* 7. *Savi Fl. pis. I.* 9. *Viviani Pl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 452. *Decand. Fl. franç. III.* 499.

H. in montibus Cyrenaicis.

SALVIA CLANDESTINA : *Linn. Sp. Pl.* 36. (Fide ipsius herbarii.) S. pilis longis, patentibus, eglandulosis hirsuta; rachide, calycis basi, fauceque lanatâ; foliis polymorphis, ovato-subsinuatis; sinuato pinnatifidis; vel decursivè pinnatis, laciniis linearibus, distantibus, margine revolutis; calycis labio superiore rotundato, fastigiato, obsoletè tridentato; corollâ calycem superante. *Nob.*

α foliis decursivè pinnatis, laciniis linearibus, distantibus, inæqualibus, margine revoluto; caule elongato; verticillis remotis. S. clandestina *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 16. *Sibth. Fl. gr. Tab.* 24.

β Foliis omnibus ovato-lanceolatis, sinuato-pinnatifidis, margine subrevoluto; verticillis adproximatis.

γ Foliis omnibus ovatis, subsinuatis; caule abbreviato, foliis paulò breviore; verticillis subimbricatis.

H. cum suis varietatibus in deserto Magnæ Syrteos.

Obs. Unicam speciem hisce tribus varietatibus, eodem loco lectis, comprehendi, ex ipso speciminum accurato examine evidentissimè constat. Nam duo extremæ α, et β, nullâ omnino notabili differentiâ interiectâ, per intermediam β in unam confluunt. Folia in γ margine plana, at quò profundiùs in lobos scinduntur, figuram ovato-lanceolatam adquirunt, et margine sic paulatim deflectuntur, ut tandem in var. α, margine omninò revoluto adpareant. In nullâ verò varietate folia hirsutiem exuunt, quâ infernè præsertim canescunt. In β, et γ folia caulina vix ulla; caulis mox in spicam densam abit, sic densis, longisque pilis vestitam, ut rectè lanatam dixeris: In omnibus varietatibus calyx ad basim, et interiùs pilis densissimis, eglandulosis, stipatur : Hinc planta minimè viscosa. Corolla in omnibus tota cærulea : In reliquis characteribus, à bracteis, calycis structurâ, corollâque petitis, nihil comperi, quo à S. *verbenacâ*, eiusque varietatibus, diversis nominibus perperam distinctis, seiungatur. Hanc nostram speciem S. *clandestinam* Linnæi exhibere, malo Smithii auctoritate, quàm S. *clandestinæ* Linneanâ descriptione, Sp. Pl. 36. recipere, quæ speciem nostram respuit, et S. *verbenacæ* varietatem sapit. Quidquid sit de Linnæanâ specie, huius nostræ var. α cum S. *clandestinæ* icone citatâ Fl. Græcæ apprimè congruit; reliquæ varietates in hac confluunt, nunquam verò cum S. *polymorphâ* Link Fl. Lusit. tab. 19, et S. *multifidâ* Fl. gr. tab. 13. quod ex Libycorum speciminum cum his venustissimis tabulis comparatione institutâ, mihi manifestum fuit. Hasce duo postremas unicam speciem referre rectè adnotavit Clar. Bertolonius; quibus libenter cum Linkio, et Marschallio S. *Spielmanni*, et S. *verbenacam* adiungo, neque à S. *verbenacæ* varietatibus dissentire S. *clandestinam* Bert. Amœn. p. 74. non tantùm ex speciminibus iisdem locis nuper à me lectis, quam ex ipsis mihi à Bertolonio communicatis, nullus dubito.

FEDIA CORNUCOPIA : *Roem. et Sch. Syst. veg. I.* 360. *Decand. Fl. franç. IV.* 239. VALERIANA Cornucopia : *Linn. Sp. Pl.* 44. *Desfont. Fl. atl. I.* 29. *Smith Prodr. Fl. gr. I.* 21. *Guss. Cat. Pl. sicul. Ten. Fl. neap.*

H. in pratis Cyrenaicæ.

FEDIA DENTATA : *Roem. et Sch. Syst. veg. I.* 361. *Poll. Fl. veron. I.* 44. VALERIANA dentata *All. Fl. ped. n.* 13. *Ten. Fl. neap.* VALERIANELLA dentata : *Decand. Fl. franç. IV. p.* 241. VALERIANA Locusta *var.* γ *Lin. Sp. Pl.* 48.

H. in herbosis Tripolitanis et Cyrenaicis.

FEDIA CORONATA : *Roem. et Sch. Syst. veg. I.* 362. *Poll. Fl. veron. I.* 45. VALERIANA

coronata: *All. Fl. ped. n.* 14. V. Locusta var. γ coronata: *Linn. Sp. Pl.* 48. var. B. *Desfont. Fl. atl. I.* 30. VALERIANELLA coronata: *Decand. Fl. franç. IV. p.* 241.

H. cum præcedente.

IRIS SYRTICA: Foliis filiformibus, junceis, subcanaliculatis; spathis univalvibus, elliptico-lanceolatis; petalis exterioribus imberbibus, margine fimbriatis. TAB. I. *fig.* 1.

Scapus adscendens, 2. 1/2 — 3 decim. longus, basim versùs foliosus: Folia 4 — 5 basi vaginantia, rigidula, erectiuscula, juncea, subcanaliculata, parallelo-striata, acuta: Spatha univalvis, lanceolato-elliptica, striata, paulò ultra medium fissa, subuniflora: Corollae tubus spathâ paulò longior, laciniæ (vulgò petala) tres exteriores basi attenuatæ, canaliculatæ, hinc sensim dilatatæ, nudæ, marginè profundè fimbriato, interiores breviores, lineares, obtusæ: Stamina tria, lacinias corollæ minores æquantia: Antheræ lineares, erectæ: Stigmata petaloidea, lineari-oblonga: Germen trigonum, pedunculatum.

H. in aggeribus sabulosis Magnae Syrteos.

Obs. Habitum gerit I. Sisyrinchii, at foliorum numero, quæ in hac binarium nunquam excedunt, itemque florum structurâ abundè differt.

Expl. TAB. I. fig. 1. *a* stylus cum stigmatibus, et germine.

IRIS SISYRINCHIUM: *Linn. Sp. Pl.* 52. *Desfont. Fl. atl. I.* 38. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 28. *Sibth. Fl. gr. I.* 30. *tab.* 42. *Biv. Sic. Plant. cent. II.* 33. *Viviani Pl. Ligur. Herb.* I. fugax *Ten. Fl. neap. p.* 15. tab. 4.

H. in collibus propè Leptim magnam.

Obs. Rariùs occurrit in collibus herbosis apricis propè Genuam, ubi me comitante eamdem reperit illus. à Wendel, Botanices cultor eximius, qui italicas stirpes undique propriis itineribus conquisitas Botanicis perlustrari libenter concedens, in Florae nostrae progressum summoperè confert. In Gallià nondum observata. In Florâ neapolitanâ *I. fugacis* nomine, hæc ipsa species culta exhibetur. In Florâ græcâ stigmata serrato-dentata delineantur, quod nunquam in specie nostrâ observavi. Singularem bulbi structuram, et evolutionem, in nostrate hac stirpe à me sæpe rimatam, botanicis nondum satis perspectam, icone illustratam exhibeam in Fl. ital. fasciculo altero.

IRIS JUNCEA: *Roem. et Sch. Syst. veg. I.* 472. *Desfont. Fl. atl. I.* 39. *tab.* 4. *Viviani Fl. Lig. Herb.*

H. in collibus Tripolitanis.

Obs. Pulcherrimam hanc speciem propè Genuam quoque reperi extrà portam *degli Angeli*, una cum *I. Sisyrinchio*, *Scillâ peruvianâ*, *Allio flavo*, *A chamæmoly*, aliisque rarioribus in Italiâ speciebus, quas nunquam ibi cultas fuisse, locorum naturâ inspectâ, satis superque patet.

IRIS TUBEROSA: *Linn. Sp. Plant.* 58. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 28. *Sibth. Fl. gr. Tab.* 41. *Guss. cat. Pl. sic. Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 20. *Viviani Fl. lig. Herb.*

H. in montanis apricis Cyrenaicæ.

Obs. In collibus propè Genuam rarissimè reperitur: In Liguriâ occidentali propè Tuirano spontè crescentem invenit D.r B. Gherardi, olim auditor meus, specierum ligusticarum investigator assiduus.

PHALARIS CANARIENSIS: *Linn. Sp. Pl.* 79. *Desfont. Fl. atl. I.* 55. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 36. *Sibth. Fl. gr. Tab.* 55. *Ten. Fl. neap. I.* 17. *Savi Fl. pis. I.* 52. *Bertol. Pl. gen. in amoen.* 107. *All. Fl. ped. n.* 2139. *Decand. Fl. franç. III.* 10.

H. in herbosis regionis Tripolitanæ.

PHALARIS PUBESCENS: *Decand. Fl. franç. III.* 8. AIRA pubescens *Desfont. Fl. atl. II.* 446. *Savi Bot. etr. I.* 57. PHALARIS Barrelieri *Ten. Fl. neap.* ALOPECURUS littoreus *All.*

Fl. ped. n. 2151. KOELERIA villosa *Roem. et Sch. Syst. veg. II.* 623. *Viviani Fl. Lig. Herb.*
H. cum præcedente, et in Cyrenaica.

MELICA CYRENAICA: Petalis imberbibus, exteriore tridentato; calyce flosculos superante, subtrifloro; paniculâ patulâ, pyramidali; floribus secundis, cernuis. TAB. XV. *fig.* 1.

Pars tantum superior culmi adest. Culmus in paniculâ angulatus, angulis, uti et pedunculi, pedicellique ad lentem scabris; panicula pyramidalis, pedunculis binatim prodeuntibus, nudis, patentibus, altero longiore: Flores racemosi, binatim erumpentes, cernui; pedicelli capillares, apice minimè pubescentes: Spicula, dum adhuc clausa, elliptico-lanceolata: Calycis valvula exterior, alteram amplectens, ovata, glabra, basim versùs intensè purpurea, quinque-nervis, margine membranacea, interiore duplò brevior; valvula interior 12. mill. longa, ovato-lanceolata, cæterum exteriori conformis: Flosculi calyce minores, duo, cum rudimento tertii, inferior sessilis, alter pedicellatus: Gluma exterior ovato-oblonga, 9 — 10 mill. longa, glabra, imberbis, mutica, 5 — 7 nervosa, supernè scarioso-membranacea, apice ad lentem tridentato: Gluma interior triplò brevior, oblonga, plana, nervosa, margine incrassato, hirto; tertii flosculi rudimentum pedicellatum, globuliforme.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Paniculâ pyramidali, patulâ; pedicellis apice non pubescentibus; valvulâ calycinâ exteriore, interioris mediam longitudinem attingente; glumâ exteriore tridentatâ à speciebus affinibus, præsertim à M. *saxatili* Fl. græcæ Tab. 71. differt. Cæterùm nollem Clar. Smithium nè dubitanter quidèm ad suam M. *saxatilem*, longè diversam in synonimum M. *asperam* Fl. atlant. retulisse: Huius plantæ, Genuæ vicinia incolentis, speciminibus cum specie atlanticâ in Herbario cel. Desfontanesii olim sedulò à me comparatis cognoveram, M. *asperam* Desfont. eamdem speciem esse ac M. *nutantem* Cav. icon. I. 58. Tab. 175. fig. 2. Varietates quoquè duas, in plantâ genuensi passim obvias, notaveram, quarum primæ β M. *pyramidalem* Desfont. l. c. ipso claris. botanico præsentiente, adieceram; alteram γ ex ipso Allionii synonimo, et plantâ, iisdem locis ab Allionio indicatis lectâ, M. *minutam* Linn. Mant. referre conieceram. Hæc omnia in meis Ann. Bot. vol. 1. p. 2: anno 1805 Genuæ edit. adnotaveram; quibus si Clar.mi Systematis veget. editores æquo animo aquievissent non tantis synonimorum ambagibus prædictas species obvolvissent. Haud inanem verò operam in hisce speciebus sistendis me contulisse, clar. Smithii autoritate confirmor, qui in suo Fl. gr. Prodromo 1. p. 50. ad MELICAM *minutam* Linn. addit in syn. M. *pyramidalem* Fl. atl. et M. *nutantem* Cav. l. c. Quod si hisce duabus non adiecit. M. *asperam* Desfont. dicere præstat, non ipsi de hac specie satis constitisse, qui ad plantam longè diversam, nempè suam M. *saxatilem*, in synonimon illam dubitanter recepit: Neque fortasse adverterat, ipsum Desfontanesium suam M. *pyramidalem* dixisse similimam M. *asperæ*; quos verò differentiæ characteres hic notavit, ipsos in plantâ genuensi inconstantes recognovi.

CHRYSURUS CYNOSUROIDES. *Roem. et Sch. Syst. veg. II. p.* 2. 806. *Ten. Fl. neap. Bert. Pl. gen. in amæn.* 116. CYNOSURUS aureus *Linn. Sp. Pl.* 107. *Desfont. Fl. atl. I.* 83. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 59. *Sibth. Fl. gr. tab.* 79. *All. Fl. ped. n.* 2184. LAMARKIA aurea *Biv. Sic. plant. cent. I.* 45. *Decand. Fl. franç. III.* 30.

H. in collibus Tripolitanis et Cyrenaicis.

CYNOSURUS ECHINATUS: *Linn. Sp. Pl.* 105. *Desfont. Fl. atl. I.* 81. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 58. *Sibth. Fl. gr. Tab.* 78. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 65. *Savi Fl. pis. I.* 110. *Viviani Fl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 2183. *Decand. Fl. franç. III.* 75.

H. in pratis montanis Cyrenaicis.

BROMUS CHRYSOPOGON: Foliis, nodisque culmi longè pilosis; paniculâ contractâ, fasciculatâ; spiculis subsessilibus, lineari-lanceolatis, glabriusculis, suboctofloris. TAB. II. *fig.* 2.

Radix annua, fibrosa, fibris densè hirsutis: Culmi ex eadem radice plures, adsurgentes,

2 — 3 decim. longi, ad nodos longè pilosi: Folia lineari-acuta, erecta, culmo breviora, nervosa, utrinque longis, rarisque pilis patentibus, uti et vaginæ, hirsuta: Vagina internodiis brevior, fissa; ligula brevis, truncato-lacera: Panicula oblonga, contracta: Spiculæ subsessiles, lineari-lanceolatæ, teretiusculæ, erectæ, adproximatæ, 16. mill. longæ, 3 mill. latæ, 7 — 9 floræ: Calycis valvula exterior 7. millim. longa, lanceolata, mucronata, trinervis, margine membranaceo, nervo medio ad lentem scabro; interior paulò brevior, et angustior: Corollæ gluma exterior 11. mill. longa, lineari-lanceolata, glabra, apice profundè bifida, margine membranaceo, quinquenervis, nervis lateralibus supernè obsoletis, medio in aristam elongato, erectam, retrorsum scabram, per ætatem aureo rufescentem, longitudine ipsius glumæ: gluma interior paulò brevior, membranacea, lineari-lanceolata, margine nervo circumscripta, longè ciliata: Stamina tria.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Obs. Spicâ aureo-rufescente, nunquam rubente à B. *scoparío*, et B. *rubente* statim facie diversâ distinguitur: solidiores vero characteres è florum structurâ petendi.

Expl. Tab. II. fig. a spiculam, *b* calycem ad lentem auctum, *c* glumam eodem augmento exhibet.

BROMUS CANESCENS: Culmo foliis tecto; paniculâ fasciculatâ, ovatâ, canescente; spiculis quinquefloris, lineari-lanceolatis; valvulis, glumis, foliis, vaginisque hirsutissimis.

H. in Pentapoleos maritimis.

Obs. B. *rubenti* proximus; at differt paniculâ nunquam rubente, sed hirsutie constanter canescente; culmo non supernè nudo, sed sic foliis obtecto, ut ipsa panicula etiam in plantâ frutescente sessilis appareat, è folii vaginâ erumpens; tandem spiculis non lanceolatis, sed lineari-lanceolatis. Littora quoque Liguriæ occiduæ incolit, ubi nunquam in verum B. *rubentem* commutari, observare contigit: Majori quoque differentiâ à B. *matritensi*, et *scoparío*, disiungitur: Huius figuram profferam in meis Floræ italicæ fragmentis.

BROMUS TENUIFLORUS: Paniculâ in spicam contractâ; spiculis subsessilibus, linearibus, divergentibus; glumâ exteriore ciliatâ, aristam superante; interiore nudâ; vaginis culmoque hirsutis. Tab. I. fig. 1.

Radix fibrosa, annua: Culmus 1 1/2 — 3 decim. longus, erectus, simplex, ultrà vaginas hirsutus: Folia lineari-acuminata, 1. 1/2 millim. lata, 3 — 5 centim. longa, subtus hirsuta, pilis, in vaginâ, retrorsum versis: Ligula truncato-lacera, brevis: Panicula ovata, squarrosa: Spiculæ adproximatæ, subsessiles, divergentes, lineares, duo centim. longæ, vix 2. millim. latæ, septemfloræ: Calyx glaber; valvula interior 9. millim. longa, lineari-lanceolata, rigida, margine membranaceo, exquisitè trinervis, nervis tantùm hispidulis; exterior lineari-lanceolata, acuminata, 7 1/2 millim. longa, interior angustior: Gluma corollæ exterior 14. millim. longa, lanceolato-acuminata, apice bifido, submembranaceo, dorso obsoletè nervoso, glabro, margine membranaceo, nudo, nervis duobus lateralibus infernè obsoletis, supernè præsertim ciliatis: Arista glumâ paulò brevior; gluma interior brevior, lineari-acuminata, membranacea, margine nudo: Stamina tria.

H. in pascuis Cyrenaicæ.

Expl. Tab. II. fig. I. à calyx, *b'* corolla, utrique magnitudine naturali. *c'* corolla ad lentem aucta.

MILIUM COERULESCENS *Desfont. Fl. atl. I.* 66. *Tab.* 12. *Schousb. Maroc. I. p.* 34. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 45. *Guss. Cat. Pl. Sic. Savi Bot. etr. I.* 29. *Viviani Ann. Bot. I. p.* 2. 138. *Decand. Fl. fr. VI.* 250. *sub.* AGROSTIDE.

H. in collibus Tripolitanis.

Obs. Speciem hanc primus Europæ incolam declaravi l. c. posthàc in Galliâ provinciali, et in Etruriâ quoque inventa. In Italiæ meridionalis Floris adhuc desideratur, quod non ejusdem defectum, sed non satis hasce regiones perspectas fuisse demonstrat. Synonimon Michelii à clar. Savi l. c. adductum dubitanter recipio, quòd occulatissimo Botanico glumarum aristam effugisse, haud suadeam.

STIPA TORTILIS. *Desfont. Fl. atl. I.* 99. *tab.* 31. *f.* 1. *Guss. Cat. Pl. sic. Decand. Fl. franc. VI.* 257. *Viviani Fl. lig. Herb.* STIPA paleacea *Smith Fl. gr. Prodr.* 1. 65. *Sibth. Fl. gr. tab.* 86.

H. Tripoli, et in littore Pentapolitano.

Obs. Liguriam maritimam occidentalem quoque incolit: prope *Bordighera* ad scaturiginem aquæ thermalis unà cum S. *junceâ*. Liceat ad optimam clar. Desfontanesii descriptionem pauca adiicere, quæ ad hujus generis structuram illustrandam quodammodò conferunt. Arista in hac specie hinc plana, inde convexa, quâ formâ arescendo in spiram torquetur. In convexitate tres nervi, à valvulæ glabræ dorso trinervi procedentes, hirsutie donantur; hinc triplex pilorum patulorum series in aristis adparet.

AVENA FATUA. *Linn. Sp. Pl.* 118. *Desfont. atl. I.* 101. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 66. *Ten. Fl. Neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 43. *Savi Fl. Pis. I.* 130. *Poll. Fl. ver. I.* 136. *Bertol. Pl. gen. in amœn.* 120. *All. Fl. ped. n.* 1255. *Decand. Fl. franc. III.* 35.

H. in collibus Tripolitanis, et Cyrenaicis.

AVENA STERILIS. *Linn. Sp. Plant.* 118. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 66. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 43. *Savi Fl. pis. I.* 130. *Bert. Pl. gen. in amœn.* 120. *All. auct. ped.* 44. *Decand. Fl. franç. III.* 35. *pro* var β A. fatuæ.

H. in collibus Cyrenaicis.

TRITICUM HISPANICUM. *Viviani Ann. bot. I. p.* 2. *p.* 152. *cum omnibus synonimis: Idem Fl. Ital. Fragm.* 21. *Tab. XXIV. T.* festucoides *Savi Bot. etr. I.* 95, *T.* tenuiculum *Decand. Fl. franç. VI.* 285. *excl. syn.* T. maritimi *Viviani Ann. Bot.* 1. *p.* 152.

H. in littore Tripolitano.

Obs. In Floræ italicæ Fragmentis l. c. post diagnosim T. *hispanici* addidi *Viv. Ann. Bot. p.* 2.ª *p.* 152; quæ citatio, Typographi incuriâ, in lineâ inferiore depulsa, incidit post diagnosim T. *maritimi* Linn. Mant. quod in T. *hispanici* synonimon adduxeram. Piget patentissimâ Typographi mendâ sic captum fuisse Clar. Decandollium in Fl. Franç vol. VI. p. 285 ut me T. *hispanicum* cum T. *maritimo*, utraque eodem opere descripta, confudisse crediderit; quod non ex mendosâ citatione, sed ex meis, pro utrâque specie, descriptionibus, et T. *hispanici* figurâ l. c. expressâ, facile erat recognoscere.

SCABIOSA RHIZANTHA: Corollulis radiantibus, quinquefidis; foliis radicalibus ellipticis, caulinis pinnatis, pinnis omnibus linearibus; floribus altero radicali, pedunculato, reliquis rameis. TAB. III. fig. 1. *a*, *b*.

Radix simplex, annua: Caules ex eâdem radice plures, adscendentes, villosi, teretes, subæquales: Folia radicalia primora elliptica, in petiolum attenuata, crenulata; reliqua, uti et caulina, pinnata, pinnis oppositis, alternisve, linearibus, obtusis, remotis, in petiolum decurrentibus, integerrimis, interioribus paulò minoribus: Pedunculus, in omnibus specimininibus, alter radicalis, uniflorus, nudus, longitudine caulis, erectus; reliqui flores axillares, longè pedunculati: Calix hirsutus, quinque partitus, laciniis linearibus, corollam subæquantibus: Corollulæ cœruleæ, in radio 15 millim. longæ, extus hirsutæ, laciniis quinquefidis, tribus exterioribus longioribus, ovato-acutis: interioribus brevioribus, obtusis: Corollulæ disci triplò minores, subregulares: Stamina corollulis paulò breviora: Stylus longitudine stami-

num : stigma crassiusculum : Germen calyculo membranaceo, obsoletè quinquelobo, exceptum, setulis quinque coronatum : Receptaculum bracteis linearibus, acuminatis munitum.

H. in montibus Cyrenaicæ.

GLOBULARIA ALYPUM : *Linn. Sp. Pl.* 139. *Desfont. Fl. atl. I.* 117. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 78. *Guss. Cat. pl. sic. Savi Bot. etr.* 11. 79. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. pedem. n.* 519. *Decand. Fl. franç.* III. 427.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

SHERARDIA ARVENSIS : *Linn. Sp. Pl.* 149. *Desfont. Fl. atl. I.* 126. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 86. *Ten. Fl. Neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 77. *Savi Fl. pis. I.* 169. *Poll. Fl. veron. I.* 176. *All. Fl. ped. n.* 45. *Decand. Fl. franç. IV.* 243.

H. in montibus Cyrenaicæ.

SHERARDIA MURALIS *Lin. Sp. Pl.* 149. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 86. *Sibth. Fl. gr. tab.* 115. *Ten. Fl. neap. Savi Fl. pis. I.* 170. *Bertol. Fl. alp. app. in amœn* 336. GALLIUM murale *All. Fl. ped. tab.* 77. *f.* 1. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 80. *Decand. Fl. franç. IV.* 264.

H. in rupibus Cyrenaicæ.

PLANTAGO LAGOPOIDES : *Desfont. Fl. atl. I.* 35. *Tab.* 39. *f.* 2. P. amplexicaulis *Cav. ic. rar. II.* 22. *tab.* 125. *Schousb. marroc.* 50.

H. in littore Tripolitano.

Obs. Hæc species ad var. β P. *amplexicaulis* Cav. l. c. refertur in Roem. et Sch. Syst. veg. 111. p. 142. At nomen à Desfontanesio priùs inditum, cur delendum, ut recentiori locum cedat ?

PLANTAGO SYRTICA : Scapo nudo; foliis linearibus, acuminatis, subintegerrimis, hirsutis; spicis ovatis, lanatis, alterâ sessili, radicali; bracteis orbiculatis, scariosis; corollæ laciniis rotundatis. TAB. III. f. 2.

Radix simplex, annua : Folia omnia radicalia, lineari-acuminata, erecta, 5 — 7 centim. longa, 2 — 4. lata, sæpius integerrima, quandoque uno alterove denticulo notata, nervosa, utrinque pilis patentibus hirsuta; folio primore basi dilatato, reliqua excipiente : Scapus longitudine foliorum, supernè præsertim hirsutissimus : Spica ovata, densissimis, et implexis pilis tecta; bracteæ longitudine floris, orbiculatæ, concavæ, membranaceæ, scariosæ, nervo dorsali viridi, utrinque longis pilis hirsutæ : Corolla lævis, laciniis rotundatis, concavis, quandoque brevi acumine munitis, scariosis : Filamenta paulò corollâ longiora : Antheræ ovato-cordatæ, bilobæ : Stylus longitudine corollæ, persisteus.

H. in arenosis Magnæ Syrteos.

Obs. In singulis, quæ possideo speciminibus, spica altera sessilis ad basim culmi. Cæterum florum structura solidiores quoque differentiæ notas præbet, quibus à congeneribus affinibus distinguitur, præsertim à *P. eriophorâ* Link Fl. lusit. 1. 423 et à P. *eryostachyâ* Ten. Fl. Neap.

Expl. TAB. III. fig. 2. *c.* Flos. *d.* bracteæ, utrique lente aucti.

HYPECOUM AEQUILOBUM : Glaberrimum, foliis pinnatis, foliolis incisis, lineari-filiformibus; petalis omnibus unguiculatis, majoribus trilobis, lobis subacqualibus, minoribus trifidis, laciniis linearibus; siliquis erectis.

Radix simplex annua : Folia radicalia nonnulla simplicia, lineari-filiformia, reliqua petiolata, pinnata, pinnis inacqualibus, laciniatis, laciniis linearibus, ferè filiformibus : Scapi nudi, extremum versùs, in individuis tenuioribus, 2 — 3 flori; involucro multifido; et

multipartito, laciniis lineari-filiformibus: in elatioribus pedunculi dichotomi, ad singulas divisiones, involucro muniti: Pedunculi ad calycis insertionem tuberculo quadrilobo incrassati: Calyx diphyllus; foliolis ovatis, acutis, margine latè membranaceo: Petala lutea; duo majora ex ungue in laminam dilatati, trilobam, lobis omnibus subrotundis, subæqualibus: ungues basi sic productæ ut calycem saccatum referant: Petala minora trifida, laciniis linearibus, obtusis, mediâ paulò majore, margine revoluto, subsaccato, fimbriato: Stamina 4 æqualia, petalis opposita; filamenta basi dilatata; antheræ erectæ, lineares: Germen lineare: Stigmata duo: Siliqua erecta, vix torulosa, stigmatibus persistentibus, revolutis, coronata.

H. in Cyrenaica.

Obs. Foliolis lineari-filiformibus, non cuneato-incisis; petalis unguiculatis; lobis rotundatis, subæqualibus, à reliquis distinguitur.

Expl. Tab. III. fig. 3. omnia ad lentem aucta. *f* petalum minus. *g* petali minoris lacinia media posticè visa, ut eiusdem margo revoluto-saccatus, fimbriatus, appareat. *e* petalum majus. *h* stamina cum pistillo.

ECHIUM MACRANTHUM. *Roem. et Sch. Syst. Veg. IV.* 20. E grandiflorum *Desfont. Fl. I.* 166. *tab.* 40.

E. foliis tomentoso-pubescentibus; caulinis inferioribus ovato-oblongis; floralibus ovato-lanceolatis; corollâ calicem quadruplò ferè superante. *Nob.*

H. inter Tripolim, et Leptim magnam.

Obs. Nomen *grandiflori* vetustiori speciei ab Andrewsio Reposit. tab. 20. expressum conservandum esse, et ipse Roem. et Sch. l. c. adsentior. Foliorum mollities, ex pube in tomenti modum dispositâ, optimam in hoc genere differentiæ notam præbet, in diagnosi haud omittendam.

ECHIUM SPATHULÁTHUM: Tuberculato-hispidum; foliis elongato-spathulatis, corollâ calycem duplò superante; staminibus inclusis; caule suffruticoso, Tab. IX. fig. 1.

Caulis à basi ipsâ ramulosus, lignosus, angulatus, supernè præsertim tuberculato-hispidus; Folia rigidula, spathulata, in longum petiolum sensim attenuata, 4. centim. longa, 7 millim. lata, supernè tuberculata, utrinque hispida; superiora oblonga, sessilia: Flores in spicam secundam, brevem, terminalem, dispositi: Calyx quinquepartitus, laciniis lineari-acutis hispidissimis: Corolla violacea, 6. millim. longa, extùs hirsuta, ciliata, calyce duplò longior, obliquè truncata, laciniis rotundatis: Stamina non ultra tubum exserta: Stylus longitudine corollæ: Stigma emarginatum: Germina 4. Fructum maturum haud vidi.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Expl. Tab. IX. fig. 1. *a* Calyx magnitudine naturali, *b.* Corolla ad lentem aucta; *c.* eadem aperta.

ECHIUM DISTACHYUM: Caule fruticoso, decumbente, pilis adpressis hispido; foliis linearibus; calycibus, bracteisque tuberculato-hispidissimis; spicis coniugatis; corollâ duplò calycem superante; staminibus exsertis. Tab. V. fig. 1.

Caulis decumbens, lignosus, cortice cinereo, per vetustatem in latas squamas defluente, ramos hinc indè emittens, adsurgentes, pilis longis, adpressis tectos: Folia sessilia, linearia 2 — 4 centim. longa, 3 — 4 millim. lata, margine subrevoluta, infernè præsertim tuberculata, tuberculis in pilos adpressos erumpentibus; floralia lineari-acuta, vel lineari-lanceolata, utrimque hispida, longitudine calycum: Spicæ terminales, pro singulis ramis duo, coniugatæ, breves, secundæ, reflexæ: Calyx quinquepartitus, corollâ duplò brevior, laciniis linearibus, tuberculis albis, longisque pilis densè tectis: Corolla cærulea, obliquè truncata,

quinqueloba, lobis rotundatis, extus hirsuta : Filamenta exserta, glabra : Stylus longitudine staminum ; stigma profundè bifidum : Germina quatuor.

H. in littore Pentapoleos, et Magnæ Syrteos.

Obs. Inter *E. sericeum* Vahl. et *E. setosum* eiusdem auctoris ambigit, utraque à cl. Delile ad suum *E. prostratum* Fl. ægypt. tab. 17. f. 1. relata : cæterum suis stat characteribus, habituque proprio. In nostro foliorum longitudo, ratione habitâ ad latitudinem longè minor quàm in *E. prostrato* : cuius folia, licèt lineari-obtusa in descriptione dicantur, in figurâ lineari-spathulata exhibentur. In nostro bracteæ utrinque pilis densè tectæ, in illo tantùm ciliatæ, subtus glabræ : In illo laciniæ calycis lanceolatæ, in nostro lineares. Ab *E. setoso* Vahlii, si ab *E. prostrato* reapse diversum, differt pilis adpressis, non rigidis patentibus ; foliis non lineari-lanceolatis ; bracteis non ovatis, sed linearibus : nostro tandem spicæ conjugatæ singularem characterem impertiuntur.

Expl. Tab. V. fig. 1. *a* flos.

ECHIOCHILON FRUTICOSUM. *Desfont. Fl. atl. I.* 166. *tab.* 47. *Delile Fl. æg. n.* 238.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. Descriptioni huius speciei in Fl. atl. adde : Caulis et folia tuberculata, pilis omnibus in foliis è tuberculo erumpentibus : Corolla extus hirta, tubo subincurvo, sensim ampliato : Labium superius erectum, sinuato-bilobum, confluens in labium inferius trilobum, lobis rotundatis, medio paulò majore.

MYOSOTIS TENUIFLORA : Caule erecto, foliisque tuberculato-hispidis, inferioribus spathulatis, superioribus lineari-oblongis ; calycibus quinquepartitis, corollam æquantibus ; fructigeris erectis; bracteis flores superantibus. Tab. I. fig. 2.

Radix simplex, annua : Caulis erectus, 3 — 4 centim. altus, teres, pilis adpressis hispidus, tuberculis obsoletis, parcè ramosus : Folia inferiora spathulato-oblonga, sessilia, floralia lineari-lanceolata, omnia hispida ; pilis ex albis tuberculis, præsertim in paginâ inferiore conspicuis, prodeuntibus : Flores in spicam secundam, terminalem, simplicem, brevem, reflexam, imbricatam, dispositi : Bracteæ lineari-lanceolatæ, floribus paulò longiores : Calyx 3 — 4. millim. longus, quinquepartitus, hispidissimus, pilis flavicantibus, tuberculatus; laciniæ in flore lineares, acutæ, conniventes, in fructu lineari-lanceolatæ, calycem fere campanulatum efficientes : Corolla tubulosa, alba, longitudine calycis, extus hirsuta, limbo quinquefido, laciniis ovatis, acutis : Faux quinque pilorum congestorum seriebus munita, singulis infernè in nervum productis : Stamina quinque, in inferiori tubi parte inserta : Antheræ subsessiles, lineares, sulcatæ : Semina triquetra, subrostrata, angulis obtusis, latere exteriore majore, convexo, marginibus, et dorso tuberculata.

H. in montibus siccis apricis Cyrenaicæ.

Obs. Culta è seminibus è sicco specimine avulsis, minùs quidem tuberculosa apparuit, mollioremque habitum induit, at in reliquis intacta perstitit.

Expl. Tab. I. fig. 2. *b* calyx ; *c* corolla, utrique magnitudine naturali ; *d* flos microscopio auctus, cum corollâ apertâ, quò faucis structura, staminum insertio, et semina pateant ; *e* semen auctum.

NONEA PHANERANTHERA : Foliis radicalibus ellipticis, caulinis, floralibusque semiamplexicaulibus; spicis suberectis, secundis ; staminibus cum corollæ laciniis alternantibus, exsertis. Tab. I. fig. 3.

Radix simplex, attenuata, annua : Caulis 16. circa centim. longus, erectus, simplex, basi quandoque divisus, tuberculatus, pilis patentibus hispidus : Folia radicalia elliptica, integerrima ; caulina semiamplexicaulia, lineari-elliptica ; floralia ovato-acuminata ; omnia tuberculis asperata, et hispida : Flores in spicam racemosam, secundifloram, simplicem, vix recurvam dispositi ; Calyx paulò ultra medium quinquefidus, hispidus, in flore erectus, 9.

millim. longus, sessilis, laciniis lineari-acuminatis, conniventibus; in fructu ventricosus, subpedunculatus, deflexus, laciniis reflexis: Corolla glabra, calyce vix longior, tubuloso-infundibuliformis, limbo quinquefido, laciniis oblongis: Faux nuda: Filamenta brevia, paulò infra singulas laciniarum corollæ partitiones, inserta; antheræ lineares totæ exsertæ: Stylus longitudine tubi; stigma crasssiusculum: Semina quatuor, dorso convexo, venoso-reticulato, apice rostrata, lateribus tuberculata.

H. in Cyrenaica.

Obs. Singularis sanè in totâ Asperifoliarum familiâ, staminum in extremo tubo insertio, et hinc antheræ exsertæ. Nolim tamen exhinc novum extruere genus; at in Noneis, quibus Echioides Desfontanesii continentur, generis character latiùs accipiendus, nulli habitâ staminum in fauce insertione.

Expl. Tab. I. fig. 3. *f* flos magnitudine naturali; *g* corolla aucta cum germine; *h* semen auctum.

LITHOSPERMUM MICRANTHUM: hispidum, foliis lineari-lanceolatis; caule in spicas secundas cymosè diviso; pilis in calyce fructifero veluti spinescentibus: corollæ tubo filiformi. TAB. I. fig. 4.

Radix annua, simplex: reliqua planta pilis patentibus hispida: Caulis digitalis, erectus, simplex; apice in ramos floriferos, in cimæ modum divisus: Folia lineari-lanceolata, seu lineari elliptica, 2. centim. cum dimidio longa, 3. millim. lata, subtuberculata; inferiora breviter petiolata; superiora sessilia; floralia calyce paulò longiora: Flores in singulis ramis in brevem spicam secundam, patentem, dispositi, simul cymam efficientes: Calyx 6. millim. longus, quinquepartitus, basi præsertim spinis longis obsitus, in fructu in spinæ modum rigescentibus, è tuberculo prodeuntibus; laciniæ lineari-acuminatæ; in flore, et fructu subconniventes: Corolla calyce longior, tubo filiformi, apice incrassato, dilutè luteolo-virescens; limbo quinquefido, laciniis obtusis: Faux nuda: Stamina 5. ad faucem inserta; antheræ subsessiles: Semina ovata, acuta, dorso convexo, tuberculato.

H. in deserto Magnæ Syrteos.

Expl. Tab. I. fig. 4. *k* calyx auctus; *i* corolla aucta; *l* eadem aperta cum germine; *m* semen eodem augmento.

ANCHUSA BRACTEOLATA: Foliis inferioribus spathulatis, caulinis lineari-oblongis, sessilibus; floralibus in fructu semiamplexantibus, cordatis, acutis, bifariam imbricatis. TAB. IV. fig. 2. 3.

Radix simplex, peremnis: Planta pilis albis, mollibus tecta, tuberculis obsoletis: Caulis adscendens, teretiusculus, supernè in ramos spiciferos partitus: Folia radicalia spathulata; caulina sensim linearia, obtusa, sessilia; superiora semiamplexicaulia; floralia cordata, amplexantia, concava, bifariam imbricata, floribus paulò longiora: Flores in spicam densam, revolutam, secundam, dispositi; in fructu elongatam: Calyx hispidus, quinquepartitus, laciniis linearibus, acutis, corollæ tubum æquantibus; in fructu cernuus: Corolla cœrulea; fauce, et tubo albicante; tubo recto uniformi; limbus, 8 — 9 millim. latus, quinquepartitus, laciniis subrotundis; ad faucem pili breves, congesti, squamularum loco: Stamina sub faucem inserta: Stigma simplex, crassiusculum: Semina 4. reticulata, tuberculosa.

H. in montibus Cyrenaicis.

Expl. Tab. IV. fig. 2. 3. *a* calyx magnit. nat. *b* corolla; *c* flos cum corollâ apertâ.

ANCHUSA VENTRICOSA: Caulibus decumbentibus; foliis radicalibus oblongo-ellipticis; flo-

ralibus ovato-lanceolatis; calycibus quinquefidis, in fructu ventricosis, pendulis; corollæ tubo exserto, apice dilatato; faucis squamis ciliato-fimbriatis; stylo corollam superante *Nob.* Tab. VI. fig. 1. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 117. *Sibt. Fl. gr. tab.* 168.

Radix simplex: Planta pilis brevibus, basi in tuberculi modum crassescentibus, hirta: Caules diffusi, adscendentes, 8. circa centim. longi, nunc simplices, nunc ad spicas bifidi; angulati: Folia omnia sessilia; inferiora oblongo-elliptica; superiora sensim lanceolata; floralia ovato-lanceolata, flores paulò superantia: Spica subrecurva, secunda, in fructu elongata, laxa: Calyx 8 millim. longus, quinquefidus, laciniis lineari-lanceolatis; in fructu pedunculatus, ampliatus, ventricosus, laciniis subconniventibus: Corollæ tubus calyce longior, supernè inflatus; limbus intensè violaceus, quinquefidus, laciniis ovato-rotundatis: Faux 5 squamulis brevissimis rotundatis, margine fimbriato, piloso, munita: Stamina paulò infra faucem inserta; filamenta brevia; antheræ lineares, versatiles: Stylus exsertus; stigma crassiusculum, emarginatum: Semina dorso convexo, subrotundo, glabro, latere opposito, quò receptaculo hærent, truncato-dentata.

H. in aggeribus arenosis Magnæ Syrteos.

Obs. Huius speciei icon jam ære sculpta prodierat, cùm in Fl. gr. tab. citatâ expressam reperi. Corolla in nostrâ intensè cœrulea, in plantâ græcâ, alba; at cum nullæ aliæ differentiæ notæ graviores adsint, hanc minùs habendam esse censemus. Genere cum Lycopside ambigit: hinc à Clar Lehmannio *Lycopsis Sibthorpiana* dicitur.

Expl. Tab. VI. fig. 1. *a* flos, cum calyce aperto; *b* corolla scissa aucta; *c* germen; *d* semen triplò auctum.

CYNOGLOSSUM clavatum: Incanum; foliis caulinis semiamplexicaulibus; racemis secundis, foliosis; squamis ad faucem cylindricis, clavatis, emarginatis, limbum æquantibus; stylo persistente elongato, subulato, calycem superante. Tab. V. fig. 2.

Folia radicalia desunt: Caulis erectus, ramosus, teres, foliosus, totus incanescens pilis implexis: Folia caulina semiamplexicaulia, oblonga, basim versùs paulò angustiora, veluti spathulata, superiora sensim minùs obtusa; floralia, superiora præsertim, lanceolato-linearia; floribus longiora: omnia pube stellatâ incana: Racemi abbreviati, secundi, reflexi: Calyx quinquepartitus, laciniis lanceolato-oblongis; in fructu duplò longioribus: Corolla glabra, tubus brevis; limbi laciniæ ovato-concavæ, calycem paulò superantes; faux 5 appendicibus munita, cylindricis, clavæformibus, apice bilobis, corollæ limbum æquantibus: Stamina sub fauce inserta; filamenta brevia; antheræ oblongæ, sulcatæ: Semina quatuor, tota glochidibus rigentia, apice stellatis.

Expl. Tab. V. fig. 2. *b* flos paulò auctus; *c* corolla scissa majori augmento; *d* squama clavata; *e* seminis pars aucta.

CERINTHE aspera. *Will. Sp. Pl. II.* 773. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 119. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 92. *Viviani Pl. cors. Herb. C.* major *var.* β *Lin. Sp. Pl.* 196.

H. in Cyrenaica.

ONOSMA echinata: *Desfont. Fl. atl. I.* 161. *tab.* 43.

O. Foliis lanceolato-linearibus, tuberculato-hispidis; corollis supernè abruptè ventricosis; seminibus triquetro-rostratis, lateribus tuberculatis. *Nob.*

H. in littore Pentapolitano, et Tripolitano.

Obs. A clar. Desfontanesio corolla lutea dicitur, in nostrâ, si siccis speciminibus in colore sistendo fides haberi potest, rubescit: in reliquis nullam omninò differentiam exhibet. Diagnosim restauravi, petito optimo charactere à corollæ formâ, quâ statim ab O. *simplicissimâ*, reliquisque distinguitur, ubi tubus sensim ampliatur; in nostrâ

abruptè in globum excrescit, magis etiam quàm in Desfontanesii tabulâ exhibetur. Pili simplices, vel basi stellati, an solidiorem differentiæ notam offerunt? Valdè dubito: primùm minùs rectè pili stellati dicuntur, nam minimè pili, sed tuberculi ipsi pilis minoribus hirti, hinc pili majores, semper à basi ipsâ simplicissimâ erumpunt, quæ structura, etiam in speciebus, quæ pilis simplicibus dicuntur, apparet; nam si fortiori lente lustrentur, tuberculi pilis minoribus rigescunt.

Expl. Tab. XXVI. fig. 3. corolla cum calyce; *o* semen.

ANAGALLIS ARVENSIS: *Linn. Sp. Pl.* 211. *Desfont. Fl. atl. I.* 168. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 131. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 64. *Poll. Fl. ver. I.* 220. *Savi Fl. pis. I.* 220. *Bert. Pl. gen. in amœn.* 131. *Decand. Fl. franç. III.* 431. *All. Fl. ped. n.* 317.

H. in collibus Tripolitanis, et Cyrenaicis.

CONVOLVULUS ALTHÆOIDES: *Linn. Sp. Pl.* 222. *Desfont. Fl. atl. I.* 173. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 133. *Sibth. Fl. gr. Tab.* 64. *Ten. Fl. neap. I.* 58. *Guss. cat. Pl. sic. Seb. et Mau. Fl. rom.* 98. *Savi Bot. etr. I.* 226. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 390. *Decand. Fl. franç. III.* 641. C. hirsutus: *Ten. Fl. neap. I.* 60. *tab.* 15. C. tenuissimus: *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 134. *Sibth. Fl. gr. ic.* 195.

H. in collibus maritimis Tripolitanis, et Cyrenaicis.

Obs. Frequens in totâ Liguriâ maritimâ, ubi sæpe ex eâdem radice, per successivos annos, in foliorum divisione, laciniarumque latitudine sic ludentem observavi, ut ne varietates quidem lubricis hisce characteribus committi posse censeam.

CONVOLVULUS LINEATUS: *Linn. Sp. Pl.* 224. *Desfont. Fl. atl. I.* 174. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 135. *Sibth. Fl. gr. ic.* 179 *Ten. Fl. neap. I.* 63. *Guss. Cat. pl. sic. Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 391. *Decand. Fl. franç. III.* 642.

H. in collibus Tripolitanis, et Cyrenaicæ.

Obs. Etiam propè Genuam reperi cum sequente in collibus prope Quarto, et Nervi.

CONVOLVULUS TRICOLOR: *Linn. Sp. Pl.* 225. *Desfont. Fl. atl. I.* 175. *Guss. cat. pl. sic. Viviani Herb. Fl. lig. Barrel. icon.* 321, *et* 322.

H. in collibus Cyrenaicis.

Obs. Prope Genuam eosdem cum præcedente colles incolit.

LONICERA CYRENAICA: Foliis ellipticis; inferioribus sessilibus, distinctis; superioribus basi truncatâ confluentibus, utrinque glaberrimis, subtus glaucis; floribus verticillatis, terminalibus; corollis ringentibus. Tab. VIII. fig. 1.

Caulis teres, ramosus, glaberrimus, uti et reliqua planta: Folia elliptica; inferiora subsessilia, distincta; superiora basi tantùm latè truncata, connata, hinc in duo, veluti opposita, producta; omnia infernè glauca, integerrima: Pedunculi, seu ramorum extremitates, subnudi; flores aggregati, rariùs verticillati, sessiles: Calyx germen coronans, brevis, urceolatus, quinquedentatus: Corolla ringens; labium superius latè tricrenatum; inferius lineare, elongatum, patens: Stamina exserta; antheræ versatiles: Stylus longitudine staminum; stigma capitatum, hirsutum: Germen ovatum inferum.

H. in collibus Cyrenaicis.

Obs. Affinis quidem L. *Caprifolio*: at differt foliorum formâ, quæ in *Caprifolio* longè obtusiora, et apice rotundata sunt, in nostrâ elliptica: item in illâ, folia connata sic coalescunt, ut unicum folium rotundatum simul efficiant; in nostrâ basi tantum truncatâ sic coeunt, ut singulum utrinque ex hac basi communi distinctè erumpat: Hisce adde habitum firmiorem, et perfectam, constantemque glabritiem.

Expl. Tab. VIII. fig. 1. *c* corolla scissa, germini calyculato insidens.

CORIS MONSPELLIENSIS: *Linn. Sp. Pl.* 252. *Desfont. Fl. atl. I.* 185. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 149. *Guss. Cat. pl. sic. Ten. Fl. neap. I.* 83. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 240. *Decand. Fl. franç. III.* 616.

H. in collibus maritimis Tripolitanis, et Pentapolitanis.

Obs. Ex Galliæ maritimis in Liguriam occidentalem progreditur, ad promontorium usque *Delle Mele.* Orientali Italiæ plagâ, si italicis Floris fides habenda, non ultrà Regnum Neapoletanum Boream versùs adscendit. Hinc occiduâ Europæ plagâ, duobus circa latitudinis gradibus Septentrioni magis adproximatur quàm in orientali, cuius progressus inæqualitas, plus minùs in singulis speciebus confirmatur.

LYCIUM EUROPÆUM: *Linn. Mant.* 47. *Ten. Fl. neap. All. Fl. ped. n.* 464. *Decand. Fl. franç. III.* 616.

H. prope Tripolim.

LYCIUM AFRUM: *Linn. Sp. Pl.* 277.

H. in deserto Magnæ Syrteos.

ZIZYPHUS VULGARIS *Schul. Syst. veg. V.* 340. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 159. *Ten. Fl. neap. Poll. Fl. ver. I. p.* 290. *Viviani Herb. Fl. lig. Decand. Fl. franç. IV.* 625. ZIZYPHUS sativa: *Desfont. Fl. atl. I. p.* 200. RHAMNUS Zizyphus: *Linn. Sp. Pl.* 182. *Savi Fl. pis. I.* 252. *All. Fl. ped. n.* 1766.

H. Tripoli, et in Cyrenaicâ.

ZIZYPHUS LOTUS: *Schul. Syst. veg. V.* 334. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 200.

H. in rupibus maritimis Cyrenaicæ.

Obs. Hanc esse veram Lotum, de quâ Homerus in Odyssæâ, lubens clar. Desfontanesio assentior: at Lotophagos de quibus idem Poeta, non Syrtem minorem, sed Cyrenaicæ præruptum littus accoluisse, ubi etiam nunc temporis, eorum progenies degit, in citatâ itineris D. Dellacella relatione, demonstravi.

RHAMNUS ALATERNUS: *Linn. Sp. Pl.* 281. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 198. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 159. *Guss. Cat. pl. sicil. Seb. et Mau. Fl. rom. p.* 103. *Poll. Fl. ver. I. p.* 289. *Savi Fl. pis.* 1. *p.* 251. *All Fl. ped. n.* 1763. *Decand. Fl. franç. IV. p.* 624.

H. in totâ Cyrenaicâ.

VITIS VINIFERA: *Linn. Sp. Pl.* 293. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 103. *Poll. Fl. veron. I. p.* 291. *Savi Fl. pis. I. p.* 255. *All. Fl. ped. n.* 1759. *Decand. Fl. franç. IV. p.* 857.

H. in collibus Tripolitanis, et Cyrenaicis; ubi nullâ adhibitâ culturâ, suavissimos, et magnitudine præstantes fructus, profert.

ILLECEBRUM PARONYCHIA: *Linn. Sp. Pl.* 299. *Desfont. Fl. atl. I.* 204. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 163. *Ten. Fl. neap. Guss. Cat. pl. sic. Viviani Fl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 2059. PARONYCHIA argentea: *Decand. Fl. franç. III. p.* 404.

H. in collibus siccis Tripolitanis.

GYMNOCARPUS DECANDRUM: TAB. X. fig. 1. *Desfont. Fl. atl. I.* 203. *Forsk. arab.* 65. *tab.* 10. TRIANTHEMA fruticosa: *Vahl symb. I. p.* 32.

Suffrutex totus ramosus, cortice cinereo: Rami breves, rigidi, patuli, oppositi, licèt unius evolutione, alter deficiat: Ad ramorum exortum tuberculus, cum ramentis stipularum, ex cicatricibus foliorum anni præcedentis: Folia omnia carnosa, subteretia, glabra, 7 — 9 millim. longa, 1 — 1. 1/2 lata, apice obtusiuscula, mucronata; in ramis annotinis opposita, stipulis membranaceis, ovato-acutis, adpressis, utrinque munita: In ramis vetustioribus stipulæ obsoletæ, interiectæ

foliis fasciculatim erumpentibus: Flores nunc axillares 4 — 5, glomerati, subsessiles; nunc in extremis ramis in parvos corymbos terminales, 8 — 10 floros, dispositi; pedunculis brevibus, subtrifloris; basi foliosis: Calyx 4 — 5 millim. longus, tubulosus, tubo extùs hirto, profundè quinquefido; laciniis (in sicco) utrinque violaceis, sublinearibus, obtusis, apiće, ob marginem inflexum, saccatis, hirsutis, mucronatis: Faux calycis, membranæ obsoletæ rudimento munita: Corolla nulla: Stamina 10; filamenta, supra basim calycis, et ad eiusdem divisiones spectantia, basim versùs sensim dilatata, alterna tantùm antherifera: Antheræ bilobæ, subrotundæ violaceæ: Germen superum, subtuberculatum, ovatum, in stylo attenuatum, longitudine staminum: Stigma trifidum: Fructum maturum non vidi, sed ex sectione germinis, microscopio inspectâ, utriculum monospermum suspicor.

H. in arenosis littoris Magnæ Syrteos.

Obs. Singularis huius plantæ descriptionem ex integro redigere, et icone illustrare censui, quòd neque Forskalii, iconem exactam, neque Vahlii, et Fl. atlanticæ descriptiones satis concordantes, et elaboratas recognoverim. Nihil enim omittendum in incertæ sedis generum descriptione, quod ad eorumdem naturales affinitates dignoscendas, in censum deduci potest. Haud sanè clar. Jussieuo assentior, qui Gymnocarpum inter Petaloideas, et Portulaceas retulit, Vahlii fortasse auctoritate fretus, qui Gymnocarpum Trianthemati associavit. At de fructu monospermo, licèt maturum non observaverim, ipso Desfontanesio minimè dissentiente, nullus dubito. Hinc semine, corollæ defectu, calyce quinquepartito, foliatione stipulacea, Polygonearum familiam exhibet; interque Atraphaxim, et Calligonum, cuius præsertim faciem gerit, propriâ sede recipiendum.

Expl. Tab. X. fig. 1. *a* Flos auctus; *b* idem scissus cum germine, eodem augmento.

NERIUM OLEANDER: *Linn. Sp. Pl.* 305. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 208. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 164. *Ten. Fl. neap. Poll. Fl. ver. I.* 253. *Guss. cat. pl. sicil. Viviani Herb. Fl. lig. et Pl. cors. All. Fl. ped. n.* 368. *Decand. Fl. franç. III. p.* 666.

H. in totâ Cyrenaicâ.

Obs. Non in Europâ advena, ut credidit Linnæus, sed in toto Mediterranei cratere obvium. In Liguriâ occidentali fluminum ripas pulcherrimè obvestit. Nil communius in Corsicâ, Sardiniâ, et Siciliâ.

PERIPLOCA RIGIDA: Fruticosa, erecta; foliis glabris., lineari-ellipticis, oppositis, fasciculatisque, brevissimè petiolatis, integerrimis; laminis antheriferis pedicellatis, ovatis; folliculis lineari-acuminatis, depressis, divergentibus. Tab. VI. *fig.* 3., *et* 4.

Caulis fruticosus, teres, erectus, rigidus, glaber, uti et tota planta; ramosus, cortice cinereo: Folia glaucescentia, in ramis junioribus opposita, lineari-elliptica, nonnulla fere falcata, breviter petiolata, 2. centim. longa, 3. millim. lata, supernè sulcata; sulco apicem versùs obsoleto, subtus nervo dorsali exarata; in ramis vetustioribus fasciculata, sessilia: Flores axillares; pedunculi solitarii, folio paulò breviores, nudi, apicem versùs 3 — 4 flori; pedicellorum basis squamâ unâ, alterâve, brevi, ovato-acutâ munita: Calyx brevissimus, quinquepartitus, laciniis subrotundis: Corolla rotata, calyce quadruplò major; in sicco obscurè violacea, margine lutescente, laciniis linearibus, emarginatis: Nectarium genitalia cingens, urceolus corollæ fundo in coronæ modum impositus, ipsâ longè brevior, quinquepartitus, cuius singula lacinia biloba, basi singulorum petalorum incumbit: Inter singulas urceoli lacinias calcar filiforme porrectum, incurvum, cum petalis alternans, iisque paulò longius; Laminæ antheriferæ quinque, breviter pedicellatæ, ovato-cordatæ, extùs hispidæ, apice conniventes, germini adstantes: Germina duo ovata, in folliculos duos in fructu abeuntia, divergentes, basi sensim latiores, depressos, apice incurvos: Semina imbricata, comâ sericeâ munita.

H. in collibus Pentapolitanis.

Obs. Invito animo speciem hanc peculiari nomine noncupavi, valde hæsitans an potius, sub eâdem specie, cum P. *lævigatâ* Ait. Kew. et P. *angustifoliâ* Desfont. Fl. atl. comprehenderem. Cùm verò nonnullis characteribus ab utrâque differre videatur, neque dubia dirimerint icones, quas de *angustifoliâ* protulit Labillarderius, Pl. syr. Dec. II. f. 7, et de *lævigatâ*, sub nomine P. *puniciſoliæ*, Cavanillæus Ic. III. tab. 217., me quidquam in harum specierum illustrationem collaturum fuisse duxi, si speciei Libycæ figurâ, quâ maximâ possem curâ, exaratâ, descriptionem ex integro redigerem. Patet itaque huius differentia cum P. *angustifoliâ* foliis minimè lanceolatis, neque quod maximè refert, aveniis, sed linearibus, vel lineari-ellipticis, et nervo per dorsum producto, superque sulco exaratis. Florum sanè structurâ, cæterisque characteribus cum plantâ Floræ atlanticæ satis congruere videtur. Maiori verò differentiâ à P. *lævigatâ* Ait. Kew. disiungitur, cuius folia latiora sunt quàm in *angustifoliâ*, corollæ laciniæ integerrimæ, in nostrâ emarginatæ; laminæ antheriferæ in Cavanillesii icone ellipticæ, et sessiles exhibentur, in nostrâ pedicellatæ, et ovatæ: congruunt verò foliis nervosis. Nihil verò facienda sunt folia vel solitaria, vel fasciculata, quorum meminit Vahlius, quâ notâ differentiæ characterem suspicati sunt clar. Rœmerus, et Schultesius; cum et in iisdem speciminibus folia solitaria, et folia fasciculata conspexerim, quod etiam in plantâ siccâ ill. à Wendelio è Siciliâ à Gussonio missâ confirmatum vidi. His igitur differentiæ notis haud satis fidendum esse puto, quò singulas in diversas species habeamus, si quid variantis naturæ plantæ, et fortasse descriptionum, et iconum mendis tribuamus. Non itaque novum nomen indidi, quo novam speciem conderem, sed eo tantùm consilio ut P. *lævigata*, et P. *angustifolia*, lævioribus characteribus disiunctæ, hâc interiectâ, in unam confluant; nullumque de meâ restet vestigium quàm satis elaborata figura.

Expl. Tab. *VI. fig.* 3. 4. *h* Flos ad lentem auctus, ut corollæ structura, itemque nectarium, et laminæ antheriferæ pateant.

HERNIARIA HIRSUTA: *Linn. Sp. Pl.* 317. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 213. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 167. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom. p.* 105. *Poll. Fl. ver. I.* 330. *Savi Fl. pis. I. p.* 265. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 2057. *Decand. Fl. franç. III. p.* 405.

H. in collibus Tripolitanis.

SALSOLA FRUTICOSA: *Linn. Sp. Pl.* 304. *Desfont. Fl. atl. I.* 217. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 171. *Ten. Fl. neap. Guss. Cat. pl. sicil.*

H. in littore Libyco.

PITURANTHOS. (1)

CHAR. ESSENT. Involucrum, et involucella polyphylla: Petala ovato-subrotunda, integerrima: Fructus hemisphæricus, squamis furfuraceis tectus.

Genus novum ad Umbelliferarum familiam, et ad Pentandriam digyniam *Linn.* spectans.

PITURANTHOS DENUDATUS: Ramis elongatis, aphyllis, vaginulatis; involucris, involucellisque squamis furfuraceis refertis. Tab. VII. *fig.* 1. *et* 2.

Inferior plantæ pars deest. Caulis supernè glaber, aphyllus, teres, striatus, ad nodos ramorum, et pedunculorum basim vaginulis ovatis, vel ovato-lanceolatis, amplexicaulibus munitus, margine membranaceis, sæpius solitariis, alias binis, tribusve, sibi invicem amplexantibus: Umbellæ laterales, et terminales: Pedunculi nudi, longitudinem radiorum paulò superantes: Involucrum polyphillum, deciduum; foliolis ovato-acutis, margine latè membranaceo, eroso: Radii 6 — 8, longitudine 1 — 2 centim.: Involucella, foliola 5. ovata, margine eroso, membranaceo, dorso tuberculis furfuraceis exasperata, in fructu decidua: Um-

(1) Nomen deduxi à *πιτυρον furfura*, quâ involucra, involucella, et fructus teguntur.

bellula globosa, floribus 8 — 15, radiolis vix umbellulæ longitudinem superantibus: Calyx obsoletus: Petala 5. ovato-subrotunda, integerrima, concava, alba, æqualia: Stamina paulò petalis longiora: antheræ subrotundæ, bilobæ: Styli 2. crassiusculi, breves. Fructus hemisphæricus, totus squamulis furfuraceis tectus.

H. in Cyrenaicâ.

Expl. Tab. VII. fig. 1. Partibus ad lentem auctis: *a* involucellum posticè observatum: *b* involucelli foliolum dorso inspectum: *c* flos clausus. *Fig.* 2. *d* florem explicatum, petalis duobus, totidemque staminibus jam delapsis, fructumque maturescentem, itemque umbellæ, et umbellulæ structuram exhibet, involucris, et involucellis jam excussis.

CAUCALIS leptophilla. *Linn. Sp. Pl.* 347. *Var.* β C. humilis *Desfont. Fl. atl. I.* 239. C. parviflora *Decand. Fl. franç. IV. p.* 332.

H. in arvis prope Tripolim.

ATHAMANTA sicula. *Linn. Sp. Pl.* 352. *Desfont. Fl. atl. I.* 247. *Guss. Cat. pl. sic.* Daucus secundus, siculus, Sophiæfolio: *Zan. Hist. p.* 80.

H. in rupibus Pentapoleos.

FERULA nodiflora. *Linn. Sp. Pl.* 356. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 190. *Poll. Fl. ver. I. p.* 370. *Savi* 2. *cent. p.* 68. *Bert. Pl. gen. in amæn. p.* 138. *Decand. Fl. franç. IV.* 343. F. sulcata *Desfont. Fl. atl. I.* 252. *tab.* 67. *ex ipso Desfontanesii Herbario.*

H. in montibus Cyrenaicis.

FERULA opoponax. *Spreng. in Schul. Syst. Veg. VI.* 597. *cum synon.* pastinaca Opoponax *Linn. Sp. Pl.* 376. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 202. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 116. *Bertol. Fl. alp. app. in amæn.* 349. *Viviani Fl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 1289.

H. in montibus Cyrenaicæ.

FERULA communis. *Linn. Sp. Pl.* 355. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 251. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 190. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 114. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. Ped. n.* 1293.

H. in Cyrenaica.

Obs. Hanc raram Italiæ civem nuper in insula Gallinaria prope Albigaumum, in Liguriâ occidentali invenit Doctor A. Sassi, olim auditor meus, cuius tanti in Botanica progressus ut de eâ apud nos optimè meriturum rectè confidam. In Corsicâ prope Bonifacium reperit Doctor Serafinus.

SCANDIX australis. *Linn. Sp. Pl.* 369. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 259. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p.* 197. *Ten. Fl. neap. Guss. Cat. pl. sic. All. Fl. ped. n.* 1367. *sub* Myrrhide.

H. in montibus Cyrenaicis.

SIUM radiatum. Foliis pinnatis; foliolis ovato-acutis, dentato-incisis; umbellis axillaribus, pedunculatis; involucellis triplò umbellâ longioribus. Tab. IX. fig. 2.

Tota planta glabra: Caulis basi repens, teres, sulcatus: Folia pinnata, longè petiolata, petiolo basim versùs abruptè in vaginam dilatato, laxè amplexicaulem, margine membranaceo: Foliola opposita, sessilia, impari-pinnata, quinquejuga, ovato-acuta, margine crenato-dentato, basim versùs incisa, ferè lobata: Umbellæ oppositifoliæ, pedunculatæ, septem radiatæ: Involucrum monophyllum, foliaceum, basi veluti in longum petiolum attenuatum, apice inæqualiter trifidum: Involucella polyphylla, lineari-acuta, subæqualia, 1. centim. longa, triplò, et ferè quadruplò umbellulam superantes: umbellula convexa 15 — 20 flora: Calyx quinquedentatus, brevissimus, germen coronans: Petala alba, obovata: Stamina lon-

gitudine petalorum; antheræ subrotundæ: Styli duo divergentes, depressi: Germen ovato-truncatum, angulatum: Fructum maturum non vidi.

H. in inundatis salsis Magnæ Syrteos.

Obs. Expositis characteribus differt a *S. nodifloro*, cui proximum.

Expl. Tab. IX fig. 2. *à* flos ad lentem inspectus; *b* germen eodem augmento.

THAPSIA SYLPHIUM: Foliis pinnatis; foliolis multipartitis; laciniis simplicibus, trifidis, omnibus linearibus, elongatis, utrinque hirsutis, margine revolutis.

Radix crassa, fusiformis: Caulis erectus, teres, sulcatus, glaber: Folia caulina petiolo basi amplè dilatato, amplexicauli, pinnata, foliolis plurimis verticillatim erumpentibus, sessilibus, quinquepartitis, laciniis aliis simplicibus, aliis trifidis, pinnatifidisque; foliolis, laciniisque omnibus linearibus, elongatis, margine revolutis, utrinque hirsutis: Umbellæ in extremo caule, et ramis magnæ, convexæ, multi-radiatæ: Involucra et involucella, in plantâ fructiferâ, nulla: Umbellulæ multifloræ: Pedunculi tenues, glabri: Florem haud vidi: Fructus maximus, 22. millim. longus, 13. mill. latus: Semen lineari-ellipticum, basim versùs paulò tenuius, nervis 3 — 4 crassis exaratum, lato margine membranaceo, sericeo-nitente, sub undulato, exceptum.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Licet florem non viderim, de Thapsiæ genere haud dubito. T. quoque *garganicam*, cui nostra species valde proxima, medicatis viribus apud incolas prædicari, ab I. Bahuinio, aliisque auctoribus traditum fuit: Folia cotyledonalia ê seminibus ex sicco huius plantæ specimine decerptis, vidi ovata, longè petiolata, eaque æmulantia quæ clar. Guanius in T. *garganicâ* observaverat. Ex eâdem plantulâ altero anno jam in radicem fusiformem excrescente, alia tria quatuorve folia, cotyledonalibus et ipsa conformia eruperunt: Reliqua, in plantâ vivente observare haud datum fuit, quòd eamdem hyems absumpserit. Ex huius stirpis radice, succum, Sylphii nomine, celebratissimum extraxisse Cyrenaicos, collatis veterum Geographorum et Botanicorum scriptis, in citato Della Cella itinere demonstravi: Hinc huius speciei imaginem vetustissimi Cyrenæi numi sculptam exhibent: (1) et Cyrenaicæ *Regionis Sylphiferæ* nomen inditum. Quibus rationibus à celeber. Sprengelii opinione recedere cogor, qui Sylphium ad *Ferulam tingitanam* retulit, quæ magis occiduas Africæ borealis oras incolit, et in regione Sylphifera haud reperitur.

STATICE MONOPETALA: *Linn. Sp. Pl.* 390. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 277. *Ten. Fl. neap. Guss. Cat. pl. sicil. Decand. Fl. franç. III. p.* 423.

H. in Magnæ Syrteos paludosis.

Obs. In hisce quoque regionibus gallis scatet.

STATICE PRUINOSA: *Linn. Mant. p.* 59. *Rom. et Schult. Syst. veg. VI.* 794. *Vahl Symb. I. p.* 26.

S. Caule paniculato, tuberculis furfuraceis tecto; floribus terminalibus spicato-corymbosis; calyce tubuloso, infundibuliformi; tubo bracteis rotundato-truncatis, imbricatis, arctè cincto, corollâ calycem æquante. Tab. XXVII. *fig.* 1.

H. in littore Tripolitano, et Magnæ Syrteos.

Tota planta cinerascens, tecta tuberculis furfuraceis, albicantibus, ad fortem lentem hirtis. Caulis adscendens, 3. decim. longus, omnino aphyllus, flexuosus, et paulò ultra basim ramosus, ramos ad singulos flexus emittens, medios longiores, patentes, recurvos, distichos;

(1) Huius rarissimi numi figuram, in Cyreneos ruderibus inventi, insculpi curavi in huius operis frontispicio.

ramulis minoribus articulatis, brevibus, apicem versus floriferis, reliquis sterilibus, quandoque unico articulo compositis, secundis, aliàs articulis veluti verticillatim prodeuntibus, simplicibus: Stipulæ ad singulos articulos, et ad ramorum ramulorumque basim, brevissimæ, amplexantes; nunc acutæ, nunc obtusiusculæ; margine membranaceo: Folia radicalia, in meis speciminibus nulla (an semper?): Flores, in extremis ramis sessiles, adproximati, nunc in spicam capituliformem contracti, nunc ex ramulorum, apicem versus, partitione in corymbulos dispositi: Calycis tubus vaginatus, bracteis 3 — 4 hirsutis, margine membranaceis, truncatis, amplexantibus, imbricatis, inferioribus brevioribus, et laxioribus; limbus infundibuliformis, scariosus, obsoletè quinquelobus, margine denticulato, nervo nigrescente per singulos lobos excurrente, quandoque in mucronem exserto: Corolla, in sicco, rosea, quinquepetala, vix calycem superans; petalis obovatis, in unguem attenuatis: Stamina petalis paulò breviora.

H. in littore Pentapoleos, et Magnæ Syrteos.

Obs. Distinctissimæ speciei usque adeò adumbratæ potius, quàm descriptæ, descriptionem ex integrò redigere, et icone sistere operæ prætium duxi. Linnæus florentem haud vidit, neque eiusdem plenæ cognitioni consuluit Vahlius. Quos ex herb. Jussieui adiecit characteres Poiretius, à Schultesio l. c. relatis, haud satisfaciunt; præsertim speciebus affinibus, S. *aphyllá* Poir. *furfuraceá* Lagasca, *tubiforá* Delile interiectis: quarum nunc differentias, collatis cum hâc speciminibus, facilè erit elicere: nam singulæ, ne S. *pruinosá* Lin. quidem exceptâ, descriptionum, et iconum deffectu obscuritate laborant; at malui hanc meam vetustiori, cui cæterum magis accedit, speciei adsociare, quàm novam veluti hisce adiicere, fortasse nomine quidem, non re diversis. An deffectu speciminum, aut naturâ suâ foliis radicalibus constanter destituatur pronunciare non audeam, licèt nulla omnino esse omnes declarent, et mea quoque specimina foliis radicalibus omnino careant.

Expl. Tab. XXVII. fig. 1. *a* flos ad lentem auctus cum bracteis; *b* calyx eodem augmento; *c* petalum cum stamine; *d* corticis particula microscopio inspecta, quò eiusdem structura pateat.

STATICE thouinii. *Viviani Cat. Hortus Di-Negro* 1802. *p.* 34. S. ægyptiaca *Pers. Ench. I. p.* 334.

S. Caule herbaceo; foliis radicalibus alternè pinnatifido-sinuatis; calyce decemfido; laciniis quinque setaceis, cum totidem majoribus, alternantibus; perianthio communi bicorni. Tab. XI. *fig. I.*

Caulis ramentaceus, supernè alatus, infernè ex alis obsoletis angulatus, lævis, 1 — 2. decim. longus: Folia radicalia in petiolum attenuata, sinuato-pinnatifida, infernè præsertem hirsuta, ciliata, laciniis rotundatis, extimâ majore, lobatâ: Flores in extremo caule paniculati; panicula ex pedunculis foliaceis trialatis, alis lanceolato-falcatis, supernè flores congestos, sessiles, proferentibus: Rachis, seu receptaculum commune, hinc bracteatum, bracteis linearibus, acutis, inde bracteis bifidis, basi globosis, laciniis divaricatis, mucronatis, rigidis, veluti bicornibus: Calyx monophyllus, membranaceo-scariosus, albus, decemfidus; laciniis quinque, ovato-lanceolatis, cum totidem setaceis, longitudine subæqualibus, alternantibus: Corolla calyce major, quinquepetala, petalis ovato-acutis, in tubi modum coalescentibus: Stamina quinque, corollam acquantia: Styli quinque: Germen globosum.

H. in littore Pentapoleos.

Obs. Speciem hanc è seminibus mihi à Clar. Thouinio missis ortam, primus descripsi anno 1802. in Cat. Horti Di-Negro. sub nomine S. *Thouinii;* quam postea, meâ fide, in suo Enchyridio Persoonius sub S. *ægyptiacæ* nomine recepit: Cùm verò inter Libycas species hanc ipsam recognoverim, descriptione iconeque illustratam, veteri suo

nomine salutavi. Hæc jam peracta erant, cùm in splendidissimo opere *Description de l' Egypte*, hanc speciem à cel. Delile descriptam reperi: At non aliena effero, qui plantam ab anno 1802 meam, nunc ex speciminibus in Libyæ deserto lectis, patriâ donatam, inter suas concives recenseo. Scio quidem aliam Statices speciem, hoc eodem *Thouinii* nomine inscriptam, à Clar. Schultesio, in Syst. veg. recensitam fuisse, sed si nomina priùs ab inventoribus indita religiosè conservari debere æque sancitum esse convenimus, eò minùs patiendum videtur, ut quæ ad unam speciem delentur, in aliam incorsultò transferantur.

Expl. Tab. XI. *fig. I. a* calyx cum corollâ; *b* receptaculum bicorne; *c* pedunculus foliaceus trialatus, posticè inspectus, cum receptaculo bracteato.

LINUM NARBONENSE: *Linn. Sp. Pl.* 398. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 279. *Ten. Fl. neap. Viviani Herb. Fl. lig. Decand. Fl. franç. IV.* 799.

H. Tripoli.

LINUM DECUMBENS: *Desfont. Fl. atl. I. p.* 278. *Tab.* 79.

H. cum præcedente.

NARCISSUS SEROTINUS: *Linn. Sp. Pl.* 417. *Desf. Fl. at. I.* 283. *Tab.* 82. *Ten. Fl. neap. Viviani Pl. corsæ Herb.*

H. in arvis inter Leptim magnam, et Mesurata.

Obs. Hanc speciem apud Turdelos, nunc *Granata*, in Hispaniâ à Clusio primùm observatam, Clar. Tenore in Regno neapolitano, D.r Scrafini in Corsicâ prope Bonifacium frequentissimam legit. Ex hisce corsis libycisque speciminibus, in huius speciei illustrationem addendum censeo: Folia post florem erumpunt, seu ut olim de Scyllâ autunnali dixeram, *hysteranthia*: Corollæ lacinias potiùs elliptico-acutas, quàm lineari-lanceolatas dicerem: Varietatem corsam possideo laciniis abruptè in mucronem abeuntibus. Species hæc Italiæ extremitatem meridionalem non superat; in Gallià deest, denuò in Hispaniâ australi apparitura: Hinc Corsica australis, huius speciei est limes septemtrionalis.

APHYLLANTHES MONSPELLIENSIS *Linn. Sp. Pl.* 422. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 285. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1906. *Decand. Fl. franç. III. p.* 170.

H. in collibus Tripolitanis.

Obs. A Provinciâ per Liguriam occidentalem progreditur, Savonam usque. In reliquâ Italiâ, neque in Mediterranei insulis, quod sciam, nondum inventa.

ALLIUM CHAMÆMOLY: *Linn. Sp. Pl.* 433. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 288. *Ten. Fl. neap. I. p.* 169. *Smith. Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 227. *Seb. et Mau. Fl. rom. p.* 226. *Savi Bot. etr. II.* 212. *Viviani Fl. lig. et cors. Herb.*

H. cum præcedente.

ALLIUM ODORATISSIMUM: *Desfont. Fl. atl. I.* 289. *Tab.* 83.

Var. β. Foliis vaginâque pilosis; staminibus corollam æquantibus. *Nob.*

H. in collibus Tripolitanis prope Mesurate.

ALLIUM PANICULATUM. *Linn. Sp. Pl.* 428. *Desfont. Fl. atl. I.* 289. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II. p.* 225. *Decand. Fl. franç. III. p.* 227.

H. in littore Tripolitano.

ORNITHOGALUM FIBROSUM: *Desfont. Fl. atl. I. p.* 294. *Tab.* 84.

Var. β CAULESCENS, hirtum; scapo foliis longiore, folioso; calycinis foliolis extùs hirsutis. *Nob.*

Bulbus ovatus, squamoso-tunicatus, totus radiculis involutus, simplicibus, tortuosis, non tantùm è basi, quàm è bulbi ipsius ventre, et apice erumpentibus: Scapus 3 1/2 centim. longus, filiformis, uniflorus, hirtus, uti et tota planta: Folia scapo paulò breviora, tria

simul! è culmi nodo erumpentia, sessilia, lineari-acuta, canaliculata: Flos terminalis, virescens: Calyx pentaphyllus, foliolis lineari-lanceolatis, acuminatis, margine membranaceis, striatis, tribus exterioribus paulò majoribus: Stamina sex; filamenta sensim basim versùs dilatata, calyce breviora; antheræ ovatæ, bilobæ: Stylus longitudine staminum: Stigma crassiusculum: Germen trigonum. Fructum non vidi.

H. in deserto Magnæ Syrteos.

Obs. Plurima in hac varietate exhibentur, quæ singularem huius speciei structuram patefaciunt: In primis folia in individuis, suspicor, nondum evolutis, radicalia dixerat Desfontanesius, quæ re sane vera caulina sunt, e caulis nodo erumpentia, non è bulbi squamis in vaginam productis, contrà familiæ morem. Haud dubito quìn radiculæ à superiori, et mediâ bulbi parte prodeuntes, non è tunicis ipsis, quod fidem physiologicam excedit, sed, ut in reliquis bulbis, à base carnosâ, sub ipsas tunicas repentes, supernè, et ad latera viam sibi parent. Neque reticenda delineatoris menda in Fl. atlanticæ tabulâ citatâ, ubi radiculæ ramosæ delineantur, quod omnino à veritate absonum. Dolet in unico huius plantæ specimine bulbo munitæ, exquisitiori examine singularis radicis struturam investigare haud licuisse.

ORNITHOGALUM UMBELLATUM: *Linn. Sp. Pl.* 441. *Desfont. Fl. atl. I.* 296. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II. p.* 230. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom. p.* 127. *Poll. Fl. ver.* 452. *Savi Bot. etr. II. p.* 214. *Bert. Pl. gen. in amæn. p.* 144. *All. Fl. ped. n.* 1901. *Decand. Fl. franç. III.* 217.

H. in collibus totius Libyæ.

ORNITHOGALUM PYRENAICUM: *Linn. Sp. Pl.* 440. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 294. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 231. *Ten. Fl. neap.* O. NARBONENSE *Seb. et Mau. Fl. Rom. p.* 127. *Poll. Fl. ver. I. p.* 452. *Bertol. Pl. gen. in amæn. p.* 143. *Decand. Fl. franç. III. p.* 217.

H. in collibus Tripolitanis.

Obs. De Linnæi synonimo, à Smithio tribus locis confirmato, et optimâ icone sancito, nullum dubium: Hæc figura nostræ speciei genuensi à Clar. Bertolonio pro O. *NARBONNENSI* receptæ, ut ovum ovo congruit. Smithius sua huius plantæ specimina, cum Herb. Linneano comparasse, ad Engl. Bot. TAB. 499 explicationem, declarat. Linnæus ipse speciem suam icone O. *majoris I.* Clusii Hist. I. 187. firmaverat, quæ et ipsa foliis synanthiis gaudet, et nostram apprime exhibet. Quid ergo habemus quo jam inditum à Linnæo nomen, ipso apertè contradicente, ad aliam speciem expungamus? At si nihil præter foliorum synanthiam vel hyperanthiam restat, quo O. *pyrenaicum* à *narbonense* distinguamus, consultius esset in unam eamdemque speciem utraque coniungère, nam hunc characterem, quod aliis conjunctum differentiæ momentum quidem auget, nihil per se ad speciem constituendam valere censeo; cùm characteres è partium affectionibus, non è tempore petamus.

SCILLA PERUVIANA: *Linn. Pl. Sp. Pl.* 442. *var.* β *Willd. Sp. Pl. II. p.* 127. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 298. *Viviani Herb. Fl. lig.* item *Pl. cors.* Ornithogalum siculum floribus cinereo carneis, in rotundam metam fastigiatis *Cup. Pamph. Sic. Tab.* 19. optima.

H. in collibus Tripolitanis.

Obs. Falso nomine specifico indito, americanam mentiri patriam jamdiu notum. Genuensem hanc civem, quindecim ab hinc annis in sæpius memoratis locis, extùs Portam *Degli angioli* reperi. Hos incultissimos colles mecum iterato itinere conscendit Illustris à Wendel, cuius auctoritate huius raræ speciei patriam confirmari gaudeo. In Corsicâ prope Bonifacium reperit D.r Seraphinus: Siciliæ quoque incolam demonstrat optima Cupanii tab. citata.

SCILLA UNDULATA: *Desfont. Fl. atl. I.* 300. *Tab.* 88. S. foliis lanceolatis, undulatis; racemo cylindrico, laxo; bracteis triplò pedicello brevioribus; corollæ laciniis linearibus, obtusis *Nob.*

H. cum præcedente.

Obs. Prope Bonifacium in Corsicâ reperit D.r Seraphinus: Folia in speciminibus Libycis, æque ac in Corsicis hysteranthia, itemque ejusdem omnino formæ, et undulata sunt ac in Florâ Atlanticâ exhibentur. Capsula obtusa,

emarginata, ad valvularum suturam acutè angulata ; hinc capsula apice quidem obtusa, at acutè trigona, duplò major quàm in citatâ icone exhibetur ; semina membranacea, obovata. Fortasse Clar. Desfontanesius haud satis maturam capsulam descripsit, nam in reliquis omnino et descriptioni, et iconi respondet.

SCILLA MARITIMA : *Linn. Sp. Pl.* 442. *Desfont. Fl. atl. I.* 297. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 233. *Ten. Fl. neap. I.* 180. *All. Fl. Ped. n.* 1894.

H. in littore Tripolitano.

Obs. Corsicæ quoque, et Sardiniæ littora incolit.

ASPHODELUS FISTULOSUS : *Linn. Sp. Pl.* 444. *Desfont. Fl. atl. I.* 303. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 233. *Ten. Fl. neap. I.* 184. *Guss. Cat. pl. sicil. Seb. et Mau. Fl. rom.* 129. *Poll. Fl. veron. I.* 449. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1893. *Decand. Fl. franç. III.* 204.

H. in collibus Tripolitanis, et Cyrenaicis.

ANTHERICUM TRINERVIUM : Glabrum; foliis lineari-canaliculatis, brevibus; superioribus semiamplexicaulibus; scapo subtrifloro; petalis ellipticis, trinerviis; filamentis glabris. TAB. VIII. fig. 2.

Bulbus parvus, subrotundus, tunicatus : Folia inferiora reliquis angustiora, linearia, canaliculata, scapo triplò saltem breviora; caulina erecta, amplexicaulia; floralia, seu bracteæ, lanceolato-acuminata, pedunculis longè breviora : Flores terminales, alterni, circa tres, longè pedunculati, sub anthesi cernui, pedunculis duobus lateralibus bracteâ lineari-lanceolatâ propè florem munitis, medio nudo : Corolla alba, hexapetala, petala 2. millim. longa, 9 lata, obovata, basim versùs attenuata, subæqualia, trinervia : Stamina corollâ duplò breviora : Filamenta nuda, linearia : Antheræ oblongæ : Germen lineare, oblongum, trigonum : Stylus germine paulò brevior; stigma incrassatum : Germen trigonum : Capsulam maturam non vidi.

H. in Cyrenaica.

Expl. TAB. VIII. fig. 2. *a* petalum cum stamine et germine.

HYACINTHUS SESSILIFLORUS : Floribus omnibus fertilibus, sessilibusque, adproximatis; corollâ cylindricâ, limbo sexfido; laciniis subrotundo-ovatis, acutis, patentibus. TAB. VII. fig. 5.

Bulbus, et folia desunt : Scapus 1. 1/2 decim. circa altus, nudus : Flores in extremo scapo, in spicam compactam, ovatam, vel oblongam, subrecurvam, congesti, in siccis speciminibus, purpureo-nigricantes : Bracteæ formâ variæ, ovatæ, vel lineares, aliàs lineari-lanceolatæ, corollâ breviores : Corolla cylindrica, 6 millim. longa, 2. lata, limbo sexfido, laciniis ex subrotundo ovatis, acutis, patulis : Stamina laciniis opposita : Filamenta dilatata, plana, triangularia, laciniis corollæ duplò breviora : Antheræ oblongæ, bisulcæ, versatiles, violaceæ : Germen ellipticum, trigonum; stylus germine paulò brevior; stigma acutum.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. A Muscari *maritimo* Fl. atl. I. p. 308 differt floribus omnino sessilibus, limbo sexfido, patente, non hexagono : ab H. *spicato* Smith Fl. gr. Prodr. corollis cylindricis, non campanulatis.

Expl. TAB. VII. fig. 5. *f* corolla duplò aucta; *g* eadem aperta cum staminibus; *h* germen eodem augmento.

HYACINTHUS BOTRYOIDES : *Linn. Sp. Pl.* 455. *Ten. Fl. neap. I.* 187. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 131. *All. Fl. ped. n.* 439. MUSCARI botryoides *Poll. Fl. ver. I.* 446. *Decand. Fl. franç. III.* 208.

H. in collibus Libycis.

FRANKENIA HIRSUTA: *Linn. Sp. Pl.* 473. *Desfont. Fl. atl. I.* 218. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 213. *Guss. Cat. pl. sic. Ten. Fl. neap. Mich. gen.* 23. *tab.* 22. *f.* 2. *Viviani Pl. cors. Herb. Decand. Fl. franç. IV.* 763.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. In littore etrusco post Michelium non amplius reperta; illùc tunc temporis casu emigrasse suspicor; nam in totâ orâ ligusticâ deest; neque ultra neapolitanum littus in Italiâ Boream versùs progredi videtur. In Corsicâ prope Bonifacium reperit Doct. Seraphinus.

RUMEX BUCEPHALOPHORUS: *Linn. Sp. Pl.* 479. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 319. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 246. *Decand. Fl. franç. III.* 376. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 134. *Bivona Pl. sic. cent. II. Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 2038. *Decand. Fl. franç. III.* 376.

H. in collibus Tripolitanis.

RUMEX SPINOSUS: *Linn. Sp. Pl.* 481. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 217.

H. in montibus Cyrenaicis.

LAWSONIA INERMIS: *Linn. Sp. Pl.* 498. *Desfont. Fl. atl. I.* 325.

H. in Cyrenaicâ.

Obs. Huius plantæ foliis, Arabes *Bedoini* crura, brachia, mentum, palpebras inferiores, ornamenti causâ, livido-nigricante colore graphicè inficiunt.

PASSERINA HIRSUTA: *Linn. Sp. Pl.* 513. *Desfont. Fl. atl. I.* 330. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 262. *Guss. Cat. Pl. sic. Ten. Fl. neap. I.* 204. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 141. *Viviani Herb. Fl. lig.* idem *Pl. cors.*

H. in maritimis Tripolitanis.

Obs. In Liguriâ occiduâ nuper reperit D.r A. Sassi in rupibus maritimis propè parvam insulam *Berseggi*, medio circà itinere inter Genuam, et Nicæam. In maritimis Corsicæ, et Sardiniæ frequens.

POLYGONUM MARITIMUM: *Linn. Sp. Pl.* 519. *Desfont. Fl. atl. I.* 332. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 266. *Ten. Fl. neap. Bertol. Pl. gen. in amœn.* 148. *All. Fl. ped. n.* 2054. *Decand. Fl. franç. III.* 368.

H. in arenosis maritimis totius Libyæ.

LAURUS NOBILIS: *Linn. Sp. Pl.* 329. *Desfont. Fl. atl. I.* 334. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 268. *Ten. Fl. neap. I.* 217. *Poll. Fl. ver. I.* 521. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 144. *All. Fl. ped. n.* 217. *Decand. Fl. franç. III.* 362.

H. in montibus Cyrenaicæ.

ANAGYRIS FOETIDA: *Linn. Sp. Pl.* 534. *Desfont. Fl. atl. I.* 335. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 270. *Guss. Cat. pl. sic. All. Fl. ped. n.* 1264. *Ten. Fl. neap. Elis. Fiorini Bibl. ital.* 1823. *Viviani Herb. Fl. lig.*

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

Obs. Huius speciei limes septemtrionalis in orientali Italiæ plagâ, littus romanum; in occiduâ verò littus ligusticum *Varigotti* tribus circà leucis ad occidentem Savonæ.

FAGONIA CRETICA: *Linn. Sp. Pl.* 552. *Desfont. Fl. atl. I.* 338.

H. in montibus Cyrenaicis, et in ipsis ruderibus urbis Cyreneos.

ARBUTUS UNEDO: *Linn. Sp. Pl.* 566. *Desfont. Fl. atl. I.* 340. *Smith Fl. gr. Prodr.*

I. p. II. 274. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 147. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 494.

H. in montibus Cyrenaicæ.

DIANTHUS PROLIFER, var. δ D. diminutus : *Willd. Sp. Pl. II.* 674. *Desfont. Fl. atl. I.* 345. *Viviani Herb. Fl. lig. Decand. Fl. franç. IV.* 741.

H. in collibus prope Tripolim.

SILENE SETACEA : Foliis linearibus, canaliculatis, floralibus ovatis, acutis; floribus racemosis ; petalis bifidis, laciniis setaceis; coronâ brevissimâ. TAB. XII. fig. 2.

Radix annua, simplex, fibrosa : Caulis, uti et tota planta, ad lentem hispidulus, teres, erectus, 1. 1/2 — 2. centim. longus, à basi ipsâ in ramos simplices divisus: Folia linearia, canaliculata, basim versùs paulò latiora, connata ; floralia ovato-acuta, et ovato-lanceolata : Flores in racemum pauciflorum secundi : Calyx 14. mill. longus, albicans, supernè, etiam in flore crassiusculus, in fructu clavatus, decemnervosus, nervis ad lentem hirsutis, cæterum glaber, quinquedentatus, dentibus acutis, ciliatis: Petala linearia, setacea, calyce duplò longiora, profundè bifida, ungues exsertæ, apice squamulis duobus bidentatæ : Stamina decem, unguium longitudine : Styli tres, hirsuti ; Capsula clavata.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Expl. fig. 2. Flos apertus, cum petalo, stamine, et germine.

SILENE NOCTURNA : *Linn. Sp. Pl.* 595. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 290. *Ten. Fl. neap. I.* 234. *Bert. Pl. gen. in amœn. p.* 150. S. SPICATA var. *a Decand. Fl. franç. IV.* 759.

H. in Cyrenaicâ, et prope Tripolim.

SILENE ARTICULATA : Petalis subbifidis; calyce quadruplò laminam superante; floribus axillaribus, racemosis ; calyce setulis articulatis hirto ; capsulis globosis ; foliis inferioribus spathulatis ; superioribus, floralibusque lanceolatis. TAB. XII. fig. 1.

Radix fibrosa, simplex : Caulis erectus, subsimplex, ad foliorum insertionem nodulosus, ad lentem hispidulus : Folia inferiora spathulata, basi connato-urceolata, ciliata, utrinque setulis ad lentem articulatis hispida; superiora, et floralia sensim lanceolata : Flores axillares, secundi ; pedunculi calycibus breviores : Calyx 1. 1/2 centim. longus, quinquedentatus, in flore cylindricus, decemnervosus, nervi setulis patentibus, ad minimum lentis augmentum articulatis hispidi ; in fructu globosus, inter nervos reticulatus, dentibus reflexis : Corolla purpurea : Petala linearia, bifida ; unguibus longitudine calycis ; laminâ minimâ, quartam circa partem longitudinis calycis æquante ; ligulæ breves, bifidæ, acutæ : Styli tres inclusi : Germen globosum, breviter pedicellatum : Capsula obovata.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Expl. TAB. XII fig. 1. *a* calyx scissus cum germine ; *b* petalum ; *c* setula articulata, aucta.

SILENE CRYPTANTHA : Foliis obovato-spathulatis ; floribus axillaribus, subsessilibus, solitariis ; petalis bilobis, calycem quinquefidum subæquantibus. TAB. IX. fig. 3.

Tota planta pilis brevibus hirsuta : Caulis à basi ipsâ ramosus, rami decumbentes, toti foliis adproximatis, muniti : Folia obovato-spathulata, abruptè acuta, basi latè connata, ferè vaginantia, 16 millim. longa, 10 lata ; superiora sensim majora, conformia : Flores in extremis ramis axillares, solitarii, sub anthesi sessiles, inde breviter pedunculati : Calyx profundè

quinquedentatus, laciniis lineari-lanceolatis: Petala longitudine calycis, in unguem attenuata; lamina biloba, squamis coronæ brevissimis, obsoletis: Stamina decem inclusa, alternè breviora; antheræ versatiles, oblongæ: Styli tres, calyce breviores: Germen oblongum: Capsulam maturam non vidi.

H. in littore Tripolitano.

Obs. Habitum quadammodo gerit S. *decumbentis* Biv. Cent. I. p. 75., at differt foliis non spathulatis, apice rotundatis, sed obovatis acutis, floribus non longè pedunculatis, sed subsessilibus, petalis inclusis, emarginatis, non bipartitis, calyce profundè quinquefido.

Expl. Tab. IX. fig. 3. *a"* calyx; *b"* idem cum staminibus, et germine ad lentem auctus; *c"* petalum; *d* stamen; *f* germen.

SILENE LIGULATA: Foliis linearibus; floribus racemosis; calycibus angulato-hispidis; petalis bipartitis; squamis coronæ binis, elongatis, linearibus, obtusis. TAB. XII. fig. 3.

Radix simplex, annua: Caulis erectus, pilis, uti et tota planta conspersus, parcè foliosus: Folia linearia, acuta, 2 — 3 centim. longa, margine per ætatem revoluto, connata, ciliata; floralia lineari-acuminata, alterâ oppositâ, inæquali: Flores parcè racemosi, secundi; pedunculi solitarii, axillares; Calyx cylindricus, 12 — 13 millim. longus, decem angulatus, angulis rubescentibus, hispidus, quinquedentatus, dentibus lineari-acutis, reflexis: Petala bipartita, laciniis lineari-obtusis, laminâ calycis longitudinem subæquante: Squamæ nectariferæ duo, lineari-obtusæ, elongatæ: Stamina paulò exserta: Germen ovatum: Capsulam maturam non vidi.

H. in littore Tripolitano.

Expl. Tab. XII. fig. 3. *a"* Petalum cum stamine; *b"* calyx cum petalo.

ARENARIA SERPYLLIFOLIA: *Linn. Sp. Pl.* 606.

Var. α pilis glandulosis hirsuta, foliis pellucido-punctatis *Nob.*

H. in littore Tripolitano.

SEDUM BRACTEATUM: Hirsutum foliis alternis, linearibus, planiusculis: cymâ trichotomâ; bracteis ovato-acutis; nectarii germen cingentis squamis emargiuatis. TAB. VIII. fig. 3.

Planta brevibus, patulisque pilis hirsuta: Caulis 2 — 3 centim. altus, erectus, teres, simplex: Folia linearia, sessilia, carnosa, 1. centim. longa 1. 1/2 lata, supernè sulcata obtusa: Cymatrichotoma, ramis patentibus, reflexis: Bractea ovato-acuta, concava, decidua, singulos flores excipiens: Flores breviter pedunculati: Calyx triplò corollâ brevior, persistens, quinquepartitus, laciniis ovato-acutis: Corolla cœrulea; petala quinque, elliptica, carinata, nervo dorsali præsertim hirsuto-glanduloso: Stamina decem longitudine petalorum; Antheræ cœrulescentes, subrotundæ: Germina 5, hirsuta, in stylum attenuata: Nectarium, squamæ quinque, emarginatæ ad basim germinis: Capsulæ 5 supernè rimâ longitudinali dehiscentes.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. Differt a S. *cæruleo* Vahl. Symb. 51. foliis linearibus, non oblongis, cymâ trifida, non bifidâ: bracteis ovato-acutis; tandem hirsutie quâ undique scatet.

Expl. Tab. VIII. fig. 3. *a* bractea florem excipiens; *b* calix; *c* petalum; *d* stamen; *e* squamula nectarii; *f* germina calyce excepta, cum nectario ad basim; *g* fructus; *h* capsula dehiscens.

OXALIS LIBYCA: Acaulis, scapo umbellifero; calycinis foliolis apice biglandulosis, corollâ quadruplò brevioribus; foliis ternatis, foliolis obcordato-bilobis, sessilibus, pilis sparsis hirsutis. TAB. XIII. fig. 1.

Radix fibrosa, simplex : Folia radicalia longè petiolata, ternata ; foliola sessilia, basi latè conica, obcordato-bilobata, lobis rotundatis, infernè præsertim pilis sparsis hirsuta, ad lentem punctis cavis referta : Scapus erectus, teres, villosus, nudus, petiolis duplò longior : Flores umbellati circa 14, ante anthesim cernui : involucrum bracteæ lineares, pedunculis triplò breviores : Calyx pentaphyllus, submembranaceus, foliolis ovatis, acutiusculis, ad apicem extus glandulis duabus rubris munitus : Corolla lutea ; petala quadruplò ferè calyce longiora, obovata, basim versùs paulò attenuata : Stamina corollâ duplò breviora : Germen ovatum : Capsulam maturam non vidi.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Obs. Huius speciei varietatem monstruosam possideo, corollâ polypetalâ ; petalis interioribus sensim minoribus, nunc linearibus, nunc supernè in laminam emarginatam expansis ; Petalorum interiorum ad extremum unguem, utrinque hæret anthera ; filamenta antherifera nulla : Germen quoque obsoletum, squamulis excipitur : Reliqua planta omnino cum specie congruit, cuius certe abortum. Huius varietatis ad fig. 1. Tab. XIII. litteræ *a* et *b* calycis foliolum, et petalum exterius exhibent, quæ partes eâdem quoque formâ adsunt in specie ; *b* petalum interius ; *c* petalum antheriferum ; *d* idem, laminâ emarginatâ ; *f* germen squamulis exceptum in fundo calycis.

EUPHORBIA SETICORNIS : *Desfont. Fl. atl. I.* 385. *Viviani Pl. cors. Herb.*

E. umbellâ quinquefidâ, dichothomâ : foliis lineari-lanceolatis ; involucellis rotundato-angulatis, quinquenerviis ; petalis seticornibus ; capsulis glabris. *Nob.*

H. in littore, et collibus Tripolitanis.

Obs. Circa Bonifacium in Corsicâ reperit D. Seraphinus.

EUPHORBIA TRAPEZOIDALIS : Umbellâ subquadrifidâ ; foliis linearibus, acutis, subfalcatis ; involucellis trapeziformibus ; petalis seticornibus ; capsulis glabris. TAB. IV. fig. 1.

Tota planta glabra : Caulis erectus, teres, parcè foliosus, ramulo uno, alterove sub umbellâ, quandoque auctus : Folia sparsa, sessilia, lineari-acuta, 3 — 4 millim. lata, 2 — 3 1/2 centim. longa, quandoque subfalcata, ad lentem obsoletè serrata : Involucrum 3 — 4 phyllum, foliola foliis conformia ; basi paulò latiora, patentia : umbella trifida vel quadrifida : Radii tenues, elongati, involucro longiores : Involucella trapeziformia, angulo extimo magis elongato, lanceolato ; opposita, basi sic conniventia ut perfoliata adpareant : Calyx tubulosus, urceolatus, octodentatus, dentibus setaceis : Petala, lunata, bicornia, cornibus in longam setam productis : Capsula glabra.

H. in littore Pentapoleos.

Obs. Differt à præcedente, habitu tenuiore, umbellâ nunquam quinquefidâ dichothomâ ; foliorum et involucellorum formâ. Petala seticornia minoris nunc facienda, quàm olim habuit Poiretius ; qui primus E. *seticornem* Itin. 2. p. 173. descripsit : nam et in specie sequente, et in E. *ceratocarpa* Ten. Fl. neap. observantur.

Expl. TAB. IV. fig. 1. *a* flos.

EUPHORBIA HETEROPHYLLA *Desfont. Fl. atl. I.* 585. *Tab.* 102.

Var. β umbellâ contractâ, uniflorâ. *Nob.*

H. in collibus siccis maritimis Tripolitanis.

Obs. Reliquos speciei characteres sic integros profert, ut dum speciem ipsam confirmant, et in varietatem E. *exiguæ* recipere vetant, in veram speciem, varietatem hanc pygmæam constituere haud patiuntur.

EUPHORBIA PARALIAS : *Linn. Sp. Pl.* 657. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 328. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 163. *Savi Fl. pis. I.* 455. *Bert. Pl. gen. in amœn.* 65. *All. Fl. ped. n.* 1042. *Decand. Fl. franç. III. p.* 334.

H. in littore Tripolitano, et Pentapolitano.

EUPHORBIA DENDROIDES : *Linn. Sp. Pl.* 662. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 387. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II. p.* 330. *Guss. Cat. pl. sic. Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 164. *Viviani Fl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 1058. *Decand. Fl. franç. III.* 33.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

Obs. In Liguriâ orientali et occiduâ rupes mari incumbentes accolit. *Portofino*, *Caprazoppa* ec.

EUPHORBIA SPINOSA. *Linn. Sp. Pl.* 655. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 380. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 327. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 165. *Savi Bot. etr. I.* 143. *Bert. Pl. gen. in amœn.* 152. *All. Fl. Ped. n.* 1037. *Decand. Fl. franç. III. p.* 342.

H. in collibus Tripolitanis et Cyrenaicis.

EUPHORBIA PEPLUS: *Linn. Sp. Pl.* 653. *Desfont. Fl. atl. I.* 378. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 365. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 162. *Savi Fl. pis. I.* 452. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1037. *Decand Fl. franç. III.* 331.

Var. MINOR *Willd. Sp. Pl. p. II.* 903. *Decand. Fl. franç. III.* 351.

H. ad agrorum margines Tripoli.

EUPHORBIA HELIOSCOPIA : *Linn. Sp. Pl.* 658.

Var. α foliis, involucris, involucellisque conspicuè duplicato-serrulatis *Nob.*

H. in Cyrenaica.

Obs. Non novis hæc varietas characteribus distincta, sed sic conspicuè notatis, ut à specie aliquomodò abludere videatur.

CACTUS OPUNTIA: *Linn. Sp. Pl.* 669. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 390. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1932. *Decand. Fl. franç. IV.* 404.

H. in rupibus Pentapoleos.

Obs. Finalii præsertim, in Liguriâ occidentali, tantâ copiâ in rupibus quibus arx insidet spontè propagatur, ut de ipsâ rectè dicas, quod Linnæus de C. *Tuna*, *munimenta urbis* in Americâ.

MYRTUS COMMUNIS : *Linn. Sp. Pl.* 673. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 391. *Smith Fl. gr. Prodr. p. II. p.* 336. *Ten. Fl. neap. Guss. Cat. Pl. sic. Seb. et Mau. Fl. rom. p.* 268. *Savi Fl. pis. I.* 463. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1791. *Decand. Fl. franç. IV.* 426.

H. in totâ Cyrenaicâ.

PUNICA GRANATUM : *Linn. Sp. Pl.* 676. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 392. *Smith. Fl. gr. Prodr. I. p. II. p.* 336. *Ten. Fl. neap. Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1804. *Decand. Fl. franç. IV. p.* 427.

H. Tripoli in hortis, et in montibus Cyrenaicæ.

AMYGDALUS COMMUNIS : *Linn. Sp. Pl.* 677. *Desfont. Fl. atl. I. p.* 393. *Smith. Fl. Gr. Prodr. I. p. II.* 337.

H. cum præcedente.

CAPPARIS SPINOSA : *Linn. Sp. Pl.* 720.

Var. β C. RUPESTRIS *Smith. Fl. Gr. Prodr. I. p. II.* 335.

H. inter fissuras rupium in Pentapoli, et Cyrenaicâ.

Obs. C. RUPESTREM, primùm ab Oliverio, inde à Sibthorphio memoratam, in veram speciem recipere, levioris momenti characteres haud patiuntur. Nam spinis plus minùs longioribus munitam, quandoque nullis hanc plantam, in ipsis mœniis Genuæ, quà mare alluuntur, vulgatissimam, observavi. Neque magis pedunculorum longitudini, foliorum fructusque crassitici diversæ, soli et cœli naturâ variantibus, fidendum esse censeo.

GLAUCIUM VIOLACEUM: *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 358. CHELIDONIUM HYBRIDUM *Linn. Sp. Pl.* 724. *Desfont. Fl. atl. I.* 405. *Decand. Fl. franç. IV.* 636.

Var. *α* caule hispido *Nob.*

H. in collibus Tripolitanis: Var. *α* in littore Magnæ Syrteos.

PAPAVER RHOEAS: *Linn. Sp. Pl.* 726. *Desfont. Fl. atl. I.* 406. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 359. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 176. *Savi Fl. Pis. II.* 5. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1068. *Decand. Fl. franç. IV.* 632.

H. Tripoli, et in Cyrenaica.

PAPAVER HYBRIDUM: *Linn. Sp. Pl.* 725. *Smith Fl. gr. Prod. I. p. II.* 358. *Ten. Fl. neap. Savi Fl. pis. II. p.* 5. *Viviani Fl. lig. Herb. All. Fl. ped. n.* 1064. *Decand. Fl. franç. IV.* 631.

H. in littore Tripolitano.

CISTUS SYRTICUS: Stipulatus, suffruticosus, hirsutus; ramis divaricatis; foliis subsessilibus, linearibus, margine revolutis; stipulis conformibus; calycinis foliolis majoribus exquisitè quinquenerviis; minoribus ovato-rotundatis. TAB. XIV. fig. 2.

Caulis suffruticosus, in ramos patulos, oppositos divisus, pilis adpressis canescens: Folia subsessilia, inferiora quandoque lineari-elliptica, planiuscula; reliqua linearia, acutiuscula, margine revoluta, supernè sulcata, pilis sparsa, subtus hirsutie canescentia: Stipulæ foliis conformes, at duplò minores; in extremis ramis folia æquantes: Flores in brevem racemum secundum dispositi: Calycis foliola hispidissima, majora ovata, rotundata, exquisitè quinque nervia; minora rotundata, brevissima: Corolla, in plantâ siccâ, violacea, calyce duplò major; petala obovata: Stamina longitudine calycis: Germen globosum; stylus sensim in stigma crassescens: Capsulam non vidi.

Expl. TAB. XIV. fig. 2. *e* folium posticè visum, *f* calycis foliolum majus, *g* calycis foliolum minus, *h* germen cum stylo et stigmate.

CISTUS CILIATUS: *Desfont. Fl. atl. I.* 421. *Tab.* 109. C. suffruticosus, procumbens, stipulatus; ramis tomentosis; foliis lanceolato-linearibus, margine revoluto, villosis; calycibus membranaceis, nervoso ciliatis: *Nob.*

H. in collibus Cyrenaicæ.

Obs. In meis speciminibus, folia linearia, et lineari-lanceolata et fere lanceolata, uti in citatâ Tab. progressivè observantur. Hisce varietatibus adnumero Cisti speciem, in Liguriâ occidentali satis obviam, et præcipue in rupibus *Caprazoppa* prope Finalium, quæ nunc tota glaberrima, nunc foliis, pilis sparsis, hirsutis: Flos roseus, at non hic spectat C. *roseus All. Fl. ped. Tab.* 45. *f.* 4. *et Jacq. Vind. III. Tab.* 65. quem Decandollius rectè suspicatur varietatem C. *Helianthemi.*

CISTUS RUFICOMUS: Stipulatus, suffruticosus, pube stellatâ canescens; foliis oppositis, inferioribus ellipticis, superioribus linearibus; floribus racemosis, adproximatis; calycibus hispidissimis, rufescentibus. TAB. XIV. fig. 5.

Caulis suffruticosus, è basi ipsâ in ramos divisus, erectos, teretes, rigidos, pilis crebris, stellatis, confluentibus, canescentes: Folia breviter petiolata, inferiora elliptica, obtusa, plana; superiora sensim augustiora, tandem oblonga, margine subrevoluto: omnia subtus pilis stellatis, confluentibus tecta, supernè pilis stellatis sparsa: Stipulæ, ad singulum foliorum par, 4. lineares, acutæ, petiolis subæquales: Racemi erecti, multiflori: Flores breviter pe-

tiolati, adproximati: Calyx pilis rufescentibus, longis, cæspitosis, hispidissimus; foliola majora ovato-acuta, nervoso-angulata, membranacea; duo minora duplò breviora, linearia, obtusa: Corolla-lutea; petala calyce paulò majora, obovata: Stamina calycem vix superantia: Germen hirsutum: Stylus sensim in stigmate incrassatus.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. Diffent à C. *elliptico* Desfont. Fl. atl. Tab. 107. floribus pedunculatis; racemis rufescentibus, ob calyces non pubescentes, sed pilis cespitosis hirsutissimos; flore duplò majore.

Expl. Tab. XIV. fig. 5. *r* petalum, *s* stamen, *t* pistillum, *u* particula folii supernè ad lentem inspecti.

CISTUS MICRANTHUS: Stipulatus, suffruticosus, stellato-hirtus; foliis linearibus, obtusis, margine subrevolutis; stipulis lineari-lanceolatis; calycis foliolis majoribus ovato-acutis, corollam superantibus. Tab. XIV. fig. 4.

Tota planta pilis stellatis, subpatentibus hirta: Caulis à basi ipsâ in ramos simplices, teretes, erectos, divisus: Folia linearia, obtusa, inferiora breviter petiolata, opposita, sæpius omnino plana; superiora alterna, margine subrevoluto, floralia linearia, acuta, sessilia: Stipulæ, paulò petiolis longiores, lineari-lanceolatæ: Flores racemosi, distantes, pedunculi longitudine calycis, in fructu patentes: Calycis foliola interiora duplò saltem reliquis majora, ovato-acuta, 3 vel quinque nervosa; foliola exteriora linearia, acuta: Corolla calyce brevior; petala elliptica, longitudine staminum: Stigma globosum: Capsula obtusè triquetra, angulis ciliatis.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Expl. Tab. XIV. fig. 4. *o* petalum cum stamine; *p* pistillum; *q* capsula.

CISTUS PARVIFLORUS: *Willd. Sp. Pl. II. p. II.* 1186.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

CISTUS SALVIFOLIUS: *Linn. Sp. Pl.* 738. *Desfont. Fl. atl. I.* 410. *Smith Pl. gr. Prodr. I. p. II.* 364. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 177. *Savi Fl. pis. II.* 10. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1655. *Decand. Fl. franç. IV.* 813.

H. in montibus Cyrenaicis.

CISTUS LANUGINOSUS: Suffruticosus, stipulatus, foliis ellipticis; calycibus lanuginoso-hirsutis; foliolis calycinis omnibus lanceolatis, longitudine æqualibus; corollâ calycem æquante; capsulis exquisitè triquetris. Tab. XIV. fig. 3.

Tota planta, calyces præsertim, pilis mollibus implexis canescens: Caulis suffruticosus, erectus, ramosus: Folia opposita, breviter petiolata, elliptica, integerrima, 3. cent. longa, 8. millim. lata; floralia sessilia, lanceolata, alterna: Stipulæ lineari-lanceolatæ, sessiles, pro singulis foliis binæ, triplò fere ipsis breviores: Flores in racemum secundum, apice subreflexum dispositi: Pedunculi breves: calycis foliola 12 millim. longa, omnia longitudine æqualia; tria latiora ovato-lanceolata, trinervia; duo reliquia, lineari-lanceolata: Corolla calyce vix longior, petalis obovatis: Stamina corollâ paulò longiora; antheræ, subrotundæ, didymæ: Stylus in stigmate sensim paulò incrassatus: Capsula exquisitè triquetra, suturis prominentibus, ciliatis.

H. in aggeribus Magnæ Syrteos.

Expl. Tab. XIV. fig. 3. *l* petalum cum stamine; *m* pistillum; *n* capsula.

ADONIS MICROCARPA *Decand. Syst. veg. I. p.* 223.

H. in tumulis arenosis Magnæ Syrteos.

Obs. In meis speciminibus germina, in ipso flore, spicam oblongo-acutam, 1. centim. longam, efficiunt, quæ in fructu duplò elongatur, quod non omnino cum *carpellis in capitulum dispositis*, ut de A. *microcarpâ* dixit Decandollius, congruit: In reliquis nulla differentia. An species distincta ?

RANUNCULUS ASIATICUS: *Linn. Sp. Pl.* 777. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II. p.* 381. *Sibth. Fl. gr. Tab.* 518. *excluso syn. Tournefortii.*

H. in littore orientali Magnæ Syrteos.

Obs. Cùm à reliquis R. speciebus, corollæ magnitudine præsertim differat, non hùc revocandum esse Tournefortii synonimon *R. grumosa radice, flore phœniceo minimo* Inst. 287. statim apparet. Rectè fortasse suspicatur clar. Decandollius, aliquam speciem, inter tot varietates hìc congestas, latitare, at è coloris diversitate nihil certò definiri posse contendo, nam hæc syrtica specimina, colore albo, luteo, albo rubescente, mirè variant; in reliquis omnino conformia.

RANUNCULUS SANICULÆFOLIUS: Foliis reniformibus, inciso-quinquelobis, lobis crenatis; petiolis basi nudis; pedunculis folia æquantibus; caule natante TAB. XI. fig. 2.

Radiculæ è foliorum inferiorum axillis longissimæ, simplices: Caulis natans, fistulosus, articulatus, glaber: Folia omnia longè petiolata, petiolo basi sulcato, 4 — 5 centim. longo, reniformia, ferè ultra medium incisa, lobata, lobis inæqualiter crenatis; superiora quandoque 3 — 4 partita: Pedunculi oppositifolii, folia æquantes, quandoque etiam longiores: Calyx adpressus, foliolis ovatis, acutis, margine membranaceis, corollâ triplò brevioribus: Petala obovata, alba; squamulâ minimâ supra basim munita: Stamina 14 — 16: Capsulæ obovato-subrotundæ, basi prominulæ, parallelo-rugosæ.

H. in inundatis salsis Magnæ Syrteos.

Expl. TAB. XI. fig. 2. *à* semen magnitudine naturali; *b'* idem auctum; *è* petalum.

Obs. Proximus R. *Hederaceo*, at differt foliis profundiùs lobatis, et partitis, lobis non integerrimis sed constanter crenatis, pedunculis longissimis; petiolis basi non appendice membranacea auctis. Hinc R. *Hederacei* phrasim sic reformare præstat.

R. HEDERACEUS *Linn.* Foliis reniformibus, quinquelobis, lobis integerrimis, petiolis basi membranâ amplexante auctis; pedunculis folio brevioribus; caule repente.

TEUCRIUM LUCIDUM: *Linn*: *Sp. Pl.* 790. *Desfont. Fl. atl. II.* 6. *Smith Prodr. Fl. gr. I. p. II.* 393. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 149. *Decand. Fl. franç. III.* 518.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Montana species, quæ à Provinciâ in Apennino Liguriæ occidentalis progreditur; in reliquâ Italiâ nondum memorata.

TEUCRIUM FLAVUM: *Linn. Sp. Pl.* 791. *Desfont. Fl. atl. II.* 6. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II.* 391. *Guss. Cat. pl. sic. Ten. Fl. neap. II. p.* 10. *Savi Fl. pis. II.* 7. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 150. *Decand. Fl. franç. III.* 519.

H. in collibus maritimis Tripolitanis, et Cyrenaicis.

SATUREIA NERVOSA: *Desfont. Fl. atl. II.* 9. *tab.* 121. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. II. p.* 396. *Guss. Cat. pl. sicil.*

H. in collibus siccis prope Leptim Magnam.

NEPETA SCORDITIS: *Linn. Sp. Pl.* 798. Tomentoso-hirsuta, foliis cordatis, inferioribus ovatis, petiolatis, superioribus ovato-rotundatis, subsessilibus; bracteis ovatis calycem superantibus. *Nob.* TAB. VI. fig. 2.

Tota planta hirsutie fere tomentosa, canescens: Caulis tetragonus, foliosus, erectus: Folia inferiora petiolata, effuso-cordata, ovata, latè crenata, superiora sensim obtusiora, tandem subrotunda; floralia sessilia, in summâ spicâ integerrima, rotundato-acuta: Flores verticillati; verticilli inferiores ex pedunculis axillaribus, multifloris, superiores sessiles; hinc flores veluti in foliorum axillis congesti, bracteis ad singulos interjectis, exterioribus ovatis, acutis, interioribus angustioribus; omnibus calycem superantibus: Flores brevissimè pedicellati, vel sessiles, pro singulo verticillo 14 — 22: Calyx 9. millim. longus, hirsuto-lanatus, decemcostatus, quinquefidus, laciniis subæqualibus, lineari-lanceolatis: Corolla alba, extus hispida: Tubus incurvus, duplò calyce longior, sensim ampliatus; labium superius obovatum, ellipticum, bilobum, fornicatum; labium inferius trilobum, lobis lateralibus ad latera faucis brevibus, subreflexis, obtusis; medio rotundato, patente, margine obsoletè crenato, sæpius integerrimo: filamenta longiora, labium superius æquantia; antheræ versatiles, violaceæ: Germina 4. Stylus longitudine labii superioris; stigma bifidum.

H. in regione Pentapolitana.

Obs. Planta hactenus obscura. Figura à Linnæo citata Alp. Exoticorum, uti reliquæ eiusdem operis pessima. In Hist. Plant. Clusii p. 312. ab H. Belli inconcinnè describitur, veluti in totâ Cretâ vulgatissima, ubi suis viribus medicatis apud incolas prædicatur: hinc à *Scorditide* Plinii, haud differre credidit Bellius. Mirum sanè nullam huius pulcherrimæ speciei mentionem fecisse Sibthorphium, qui Cretam visitavit.

Expl. Tab. VI. fig. 2. *e* flos magnitudine naturali; *f.* corolla aucta; calyx scissus cum seminibus et stylo, eodem aumento.

PLOMIS SAMIA: *Linn. Sp. Pl.* 819. *Desfont. Fl. atl II. p.* 25. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 414.

Var. *α* BICOLOR Corollâ extus intensè luteâ, labio inferiore supernè purpurascente; bracteis integris; calycibus mucronatis, mucronibus rigescentibus, glabris, uncinatis. *Nob.* TAB. XV. fig. 2.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Corollâ extus luteâ, habituque præsertim, omnino P. *fruticosam* refert. Bracteæ in meis speciminibus basi non coalitæ, ut in P. *samiâ* dicuntur; non ideo tamen, intactâ reliquorum characterum concordantiâ, diversam speciem crediderim. In Europâ australi occiduâ nondum reperta.

Expl. Tab. XV. fig. 2. *a* corollâ; *b* calyx cum bracteâ.

THYMUS HIRTUS: Incano-hispidus; foliis linearibus, margine revolutis; ramis floriferis virgatis, aphyllis; bracteis ovato-acutis. Tab. XIV. fig. 1.

Caulis erectus, rigidus, tetragonus, pilis deflexis, rigidulis, brevibus hispidus, brachiatus: Folia sessilia, linearia, margine revoluto, hinc inde sic coarctata, ut folia crenata mentiantur, tota pilis rigidis, brevissimis, veluti è tuberculo erumpentibus scabra; suprema, ad ramorum ortum, ovato acuta, plana: Flores pedunculati, in extremo caule, et ramis, nunc oppositi, nunc in verticillos remotos, 2 — 4 floros dispositi; bracteæ ovato-acutæ, planæ, oppositæ, 2 — 4. Calyx margine præsertim hispidissimus, bilabiatus, tubuloso-campanulatus; labium superius paulò brevius, reflexum, trilobum, lobo medio minimo; labium inferius porrectum, bidentatum, dentibus lanceolato-acuminatis, mucronatis; faux nuda: Corolla labiata, calyce paulò longior; labium superius erectum, concavum, bilobum, lobis ovatis, ciliatis; inferius trifidum, laciniâ mediâ emarginatâ, lateralibus oblongo-linearibus, brevio-

ribus : Stamina longitudine labii superioris, antheræ subrotundæ, violaceæ : Stylus labio superiore paulò longior : Semina 4 in fundo calycis.

H. in collibus arenosis Magnæ Syrteos.

Obs. Fauce calycis nudâ à Thymi genere dissentit, minùs verò quam à reliquis Labiatis. Sic neque omnes Labiatæ calycis fauce villis clausâ sunt Thymi, neque omnes Thymi, calycis fauce villis clausâ gaudent : solidioribus ergo notis Thymi genus instauretur.

Expl. Tab. XIV. fig. 1. *a* calyx ; *b* corolla ; *c* eadem scissa cum pistillo ; *d* calyx scissus ad lentem auctus.

PRASIUM MAJUS : *Linn. Sp. Pl.* 838. *Desfont. Fl. alt. II. p.* 33. *Smith Fl. gr. p. II.* 426. Lamio arboreo perenne di Candia *Zan. Hist. p.* 112. *Tav.* 46.

P. foliis ovato-acutis, cordatis, latè serrato-crenatis, dentibus calycinis lanceolatis. *Nob.*

H. in collibus maritimis Pentapoleos.

Obs. Orientali-meridionales oræ crateris Mediterranei Prasiorum Patria ; nam in Italiâ Latii colles non superant, et in Florâ gallicâ desiderantur. Prasii species, inter plantas corsicas, à Cel. Decandollio in Fl. franç. vol. VI. memorata, sub nomine *P. majoris*, haud dubito quin ad *P. minus* Linn. sit referenda : quam nonnulli, ipso Linnæo dubitante, in primi varietatem recipiunt. Botanicorum descriptiones qui unicam tantum speciem cognoverunt, haud satis accuratæ esse queunt, ut ex iis differentiæ eliciantur. Certò specimina circa Bonifacium in Corsicâ à D. Serafino lecta, et iuxtà Decandollium pro P. *maiori* habita, ad P. *minus* spectant, et hanc nostram plantam Libycam exhibent. Suum P. *majus* Linnæus Zanonii l. c. synonimo, et optimâ figurâ ejusdem auctoris firmaverat, cui apta descriptio ex Fl. atl. petita, adstipulatur. Differentiæ characteres in plantâ è seminibus in specimine corsico decerptis enatâ, costantissimos recognovi : Hinc utriusque speciei phrases specificas restauravi, quibus facilè erit distinguere P. species, quæ in Florâ romanâ et neapolitanâ, itemque in Gussonii Cat. Pl. sicil. sub nomine P. *majoris* exhibetur ; nam valde dubito, quin solum P. *minus* Italiam incolat.

PRASIUM MINUS : *Linn. Sp. Pl.* 838. *Viviani Pl. corsæ Herb.* P. majus *Decand. Fl. franç. Vol. VI. excl. syn. Zanonii.*

P. foliis ovato-oblongis, subcordatis, densè-crenatis ; dentibus calycinis obtusis.

Præcedente omnibus partibus duplò minor. Rectè Zanonius de foliis P. *majoris* dixit, folia Melissæ *officinalis* magnitudine æquare ; in nostro duplò fere minora : In illo folia saltem superiora constanter longo mucrone munita, in P. *minore* sæpius inermia : Hoc semper, etiam senescendo, hirsutum ; illud per ætatem glaberrimum : Corolla in P. *minore* alba, levissimè, in labio inferiore, purpurascens ; Labium superius ovatum, concavum, emarginatum primùm erectum, tandem reflexum, inferius trilobum lobis lateralibus linearibus, integerrimis, medio rotundato-ovato, utrinque anticè sculptum, subintegerrimum.

PARENTUCELLIA (1)

CHAR. ESSENT. Corolla ringens ; tuberculi duo antheriformes supra labium inferius : Semina parietibus capsulæ bivalvis seriatim inserta.

Genus novum Besleriis adfine, ob semina valvularum parietibus inserta, quibus adstipulantur corolla ringens, et folia opposita.

(1) Genus dixi in honorem Th. Parentucelli, patriâ Sarzanensis in Liguriâ, inter doctiores viros seculi XV. meritò recensitus, qui ad summum Pontificatum, assumpto nomine Nicolai V. evectus, Bibliothecam Vaticanam, Hortumque Botanicum romanum fondavit : Sapientes in Græciâ à Turcis exagitatos grato hospitio Romæ excepit ; iisque Græcorum Philosophorum scripta, cœteris quæ ad nostram frugem non faciunt omissis, in latinum vertere commisit : Th. Gazæ Theophrastum Hist. Plantarum, et Aristotelem De animalibus, G. Trapezontio Problemata ec. ec. Ex quibus aureæ doctrinæ fontibus, prima lux, tanti Viri faventibus auspiciis, scientiis naturalibus affulsit.

PARENTUCELLIA FLORIBUNDA : Foliis ovato-acutis, profundè serratis, omnibus oppositis, sessilibus, quinquenerviis; floribus spicatis; caule erecto. TAB. XXI. fig. 2.

Tota planta hirta, pilis in flore glanduliferis: Radix in fibras multas, breves, divisa, annua: Caulis erectus, 2 circa centim. longus, teres, nunc simplicissimus, nunc à basi ipsâ, ramos oppositos, erectos emittens: Folia omnia opposita, sessilia, quinque-ad septemnervia; radicalia ovato-acuta, profundè serrata, lineata; superiora, et floralia sensim ovato-lanceolata, dentato-incisa; summa tricuspidata: Flores in spicam laxam, apicem versus totam purpurascentem dispositi, sessiles, oppositi, axillares: Calyx 1. 1/2 cent. longus, tubulosus, basim versus, in fructu præsertim, inflatus, membranaceus; quinquedentatus, dentibus lineari-lanceolatis, erectis, inæqualibus; nervis totidem exaratus; totus pilis glanduliferis hirtus; Corolla purpurea, labiata; tubus tenuis paulò exsertus; labium superius ovatum, concavum, extùs pilis glanduliferis refertum; labium inferius patens lineare, faucem versùs pilosum, canaliculatum, apice æque trilobum, lobis ovatis: Nectarium tuberculi duo callosi, antheriformes, labio superiori prope lobos impositi: Stamina quatuor subæqualia, è basi labii superioris, et inferioris per paria erumpentia; antheræ globosæ, didymæ, simul conniventes. Stylus filiformis, longitudine labii superioris; stigma crassum, truncatum: Germen ovato-ellipticum, in stylo attenuatum, bisulcatum: Capsula calyce inflato, membranaceo, excepta; subbilocularis, bivalvis, dissepimento incompleto, ex valvulis inflexis; semina plurima, ovata, valvularum parietibus nervosis seriatim, brevi funiculo, inserta.

H. in collibus maritimis Pentapoleos.

Expl. Tab. XXI. fig. 2. Singulæ partes ad lentem inspectæ: *c* corolla infernè scissa, quò pistillum appareat; *d* capsula, valvulis iuxtà suturam dehiscentibus; *e* eadem horizontaliter secta; capsula, valvulâ longitudinaliter diductâ, ut seminum insertio perspiciatur.

ANTIRRHINUM SPINESCENS: Caule suffruticoso; ramis, pedunculisque tandem in spinam abeuntibus; foliis subsessilibus, ovatis, basi cuneatis, inæqualiter dentatis; calcare corollam æquante. TAB. XXVII. fig. 2.

Fruticulus, caule erecto, ramis alternis instructo, caulem superantibus, virgatis, patentiusculis, per ætatem in spinam apice abeuntibus, pilis brevissimis hirsutis: Folia alterna, ovata, basi cuneata, inæqualiter remotèque dentata, hispidula, 3 — 5 millim. longa, 2 — 3 lata; inferiora breviter petiolata-superiòra sessilia: Flores axillares; pedunculi solitarii, patentissimi, nudi, uniflori, fructu excusso persistentes, in spinam rigescentes: Calyx quinquepartitus, laciniis lineari-lanceolatis, æqualibus: Corolla lutea, labium superius bilobum, inferius trilobum, lobo medio minore, omnibus rotundatis; calcar incurvum, longitudine corollæ; faux hirsuta: Stamina palato tecta, duo breviora: Capsulam non vidi.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Tres Antirrhini africanæ species, Linaria *fruticosa* Desfont. Fl. atl. tab. 133. Linaria *ægyptiaca* Delile Fl. æg. tab. 32. et nostra hæc, ut earumdem ferè regionum incolæ, sic eamdem quodammodò faciem referunt: at nostra differt à plantâ Floræ atl. habitu tenuiore; foliis duplò minoribus; ramis pedunculisque spinescentibus; pedunculis folio longioribns: propriùs quidem Linariæ *ægyptiacæ* accedit, ramis virgatis, pedunculisque tandem spinescentibus; at in hâc folia omnia longè petiolata, ovalia, et cordata, hastata, apice lanceolata: in nostrâ vel brevissime petiolata, vel sessilia, basi nunquam neque truncata, neque cordata, neque hastata, sed attenuata, et cuneata: In illâ calyx, in figurâ cit. labiatus exhibetur, dentibus tribus duplò longioribus, in nostrâ calyx regularis.

Expl. Tab. XXVII. fig. 2. *a* calyx; *b* flos paulò auctus; *c* folium L. *ægyptiacæ* Delile l. c. *d* calyx huius quoque speciei.

ANTIRRHINUM TRIPHYLLUM: *Linn. Sp. Pl.* 852. *Desfont. Fl. atl. II. p.* 40. *Guss. cat. pl. sicil. Ten. Fl. neap. II.* 49. *Decand. Fl. franç. III. p.* 585. *sub.* LINARIA. *Viviani Pl. corsæ Herb.* Linaria sicula latifolia, triphylla *Bocc. Sicil. p.* 45. *t.* 22.

Var. β UNIFORME foliis omnibus verticillatis: *Nob.*

H. prope Tripolim: var. β in Corsicâ.

Obs. Ex Boreali-africano littore per Siciliam, et Corsicam in Italiam meridionalem, Hispaniam, et Galliam austro-occiduam progreditur, at neque Liguriam, neque Latii oras attingit.

ANTIRRHINUM VIRGATUM: *Willd. Sp. Pl. III. p.* 238. LINARIA virgata *Desfont. Fl. atl. II.* 41. *Tab.* 135. *Decand. Fl. franç. III.* 585.

H. in arvis prope Tripolim, et Leptim magnam.

ANTIRRHINUM LAXIFLORUM. *Willd. Sp. Pl. III.* 242. LINARIA laxiflora *Desfont. Fl. atl. II.* 45. *tab.* 138.

Var. ANGUSTIFOLIUM: foliis linearibus, remotis; inferioribus oppositis, ternisve; calycibus hirsutis: *Nob.*

Obs. Habitu, bracteis reflexis, pedunculis elongatis, florumque structurâ, sic speciem atlanticam refert, ut huiusdem variationis limites relaxare maluerim, quàm novam speciem condere. Specimina possideo vix digitalia, caule unifloro, alia foliis radicalibus oppositis, alia ternatis, alia tandem quæ caules, ut dicunt, steriles, abortientes, è basi emittunt, folia pinnata mentientes: In omnibus ex uno in alterum specimen progressus patet. Calcar in icone citatâ haud exactè incurvum exhibetur, nam rectè porrigitur, uti à Desfontanesio in descriptione dicitur.

ANTIRRHINUM TENUE: Foliis alternis, ternisque linearibus; floribus terminalibus, pedunculatis; corollæ labio inferiore bilobo, superiore bifido; calcare subconico, recto, tubum æquante. Tab. XVI. fig. 5. et 6.

Planta tenuis, glabriuscula, 5 — 7. centim. longa, radice fibrosà elongatâ annuâ: Caulis simplex, filiformis, erectus, parcè foliosus, basi ramulum abortientem, unum, alterumve instar folii impari-pinnati, vel ternati longè pedunculati, emittens; Folia alterna; linearia, acuta, raris pilis sparsa; 1 — 1. 1/2 millim. lata, 13 — 16 longa, sessilia, in nonnullis speciminibus supernè quandoque verticillata, terna: Flores in extremo caule 2 — 4 pedunculati, pedunculi nudi, uniflori: Calyx quinquepartitus, hispidus, laciniis lanceolato-linearibus, obtusiusculis, margine membranaceis; corollæ tubum paulò superantibus: Corolla lutea; labium superius bifidum, subreflexum, laciniis oblongis; palatum croceum hirsutum; labium inferius superiore brevius, ad margines reflexum, anticè in lobulos breves duo patens; tubus dilatatus, basi gibbus, in calcar subconicum rectum, elongatus, longitudine tubi: Germen globosum: Capsulam non vidi.

H. in Tumulis arenosis Magnæ Syrteos.

Obs. In Antirrhinis folia opposita, et verticillata non à plantæ structurâ, ut in veris Labiatis, caule tetragono instructis, procedunt, sed sæpius à vario caulis incremento, quò fit ut variabili quoque intervallo folia sibi invicem adstent: Hinc characteribus à foliis alternis, vel sparsis, vel verticillatis, alii semper solidiores, in hoc genere, sociandi.

Expl. Tab. XVI. fig. 5 et 6. *x* calyx; *y* corolla; *fig.* 6 huius speciei varietas altera.

ANTIRRHINUM SPARTEUM: *Willd. Sp. Pl. III.* 240. *Cav. Icon. I.* 19. *Tab.* 32. LINARIA juncea *Desfont. Fl. atl. II. p.* 43.

H. in littore Tripolitano.

Obs. Tota planta glaucescens: Flores in brevem racemum coarctati: Calyx hirsutus, foliolis lineari-lanceolatis, margine membranaceo: Corollæ faux crocea, hispida: Labium inferius nunc bilobum, nunc lobulo medio minimo auctum.

OROBANCHE COMPACTA: Caule simplici, imbricato, à basi ipsâ florifero: spicâ ovatâ-multiflorâ; bracteis ternis, ovatis; labio superiore bifido, laciniis ovatis acutis. TAB. XV. fig. 2.

Scapus brevissimus, adscendens, basi incrassatus, bracteis ovatis, acutis imbricatus, ferè à basi ipsâ in spicam oblongam, compactam, undique floriferam abiens: Bracteæ scariosæ, supernè paulò longiores, ovato-acutæ, dimidiam ferè corollæ longitudinem æquantes: Calyx tetraphyllus, lævis, foliolis ovatis, obtusis, quandoque veluti truncatis, corollâ triplò brevior: Corolla incurva, supernè sensim dilatata; labium superius bifidum, lobis ovatis, acutis; inferius trilobum, lobis omnibus rotundatis, undulatis, subæqualibus; dentes ad faucem nulli: Stamina longitudine tubi; filamenta lævia; antheræ pilis intertextis hirsutæ: Germen oblongum; stylus staminibus paulò longior, incurvum, in stigmate crassescens; stigma capitato-truncatum: Germen ovatum.

H. in littore Magnæ Syrteos.

OROBANCHE FOETIDA: *Desfont. Fl. atl. II.* 59. *tab.* 144. *Ten. Fl. neap. II. p.* 63.

O. Scapo simplici; bracteis lineari-lanceolatis, corollâ longioribus; limbi laciniis rotundatis, denticulatis; calycis diphylli foliolis bipartitis, laciniis lanceolato-subulatis. *Nob.*

H. in collibus Tripolitanis.

Obs. Mirum sanè quomodo Willdenowius, qui speciem hanc non vidit, sed juxtâ Floram atlanticam recensuit, O *majori* adfinem declarare potuerit, à quâ longè diversa: Quò affinitatem hanc firmaret corollam inflatam dixit, contradicente ipsius Floræ atlanticæ descriptione, et icone; ubi tubus cylindricus exhibetur: Cœterum aliam ab O *majore* faciem præsefert, corollæ limbo ferè regulari, laciniis rotundatis, non acutis, quæ omnia Fl. lusit. Link pulcherrimâ icone 62. p. 316. confirmantur.

PHELYPÆA VIOLACEA: *Desfont. Fl. atl. II.* 61. *tab.* 146. OROBANCHE violacea *Willd. Sp. Pl. III.* 352.

H. in littore Tripolitano.

Obs. Corolla discolor, tubus albicans, limbi laciniæ supra intensè violaceæ, plicis ad limbi divisiones lutescentibus.

LUNARIA LIBYCA: Hirsuta; caule ramoso, diffuso, foliis sublinearibus, integerrimis; floribus corymboso-racemosis; siliculis hispidis. TAB. XVI. fig. 1.

Radix simplex, elongata, peremnis: Planta pilis adpressis tecta: Caulis à basi ipsâ in ramos plures divisus, decumbentes, diffusos: Folia linearia, basim versùs paulò angustiora, obtusiuscula, 1. cent. cum dimidio longa, 2 — 3 millim. lata, glaucescentia, illa ALYSSI *maritimi* penitùs æmulantia: Flores in extremis ramis corymboso-racemosi; corymbo in fructu paulò in racemum elongato: Flos parvus, vix duo millim. longus: Calyx corollâ duplò minor; foliola quatuor, ovata, hispida, concava, basi æqualia, in fructu sæpius persistentia: Corolla alba; petala obovata, in unguem attenuata: Stamina quatuor, filamentis edentulis, basi paulò latioribus, duobus longioribus, vix calycem superantibus; antheræ didymæ: Silicula in calyce sessilis, rotundato-elliptica, compresso-plana, pilis adpressis sparsa, brevi stylo persistente coronata; valvulis dissepimento parallelis, deciduis; dissepimento membranacco, argenteo persistente; margine nervoso, prominulo circumscripta: Semina 6 — 10, attigua,

compresso-plana, margine scarioso, funiculo capillari è placentâ marginali porrecto, adnexa: Cotyledones plano communi dissepimenti parallela.

H. in Magnâ Syrte.

Obs. Ad Savignyæ genus à clar. Decand. Regn. veg. Syst. II. p. 283 conditum spectat, inspectâ etiam affinitate cum S. *ægyptiacâ*, à quâ foliis omnibus integerrimis, hirsutie quâ tota tegitur, racemis è ramis elongatis, non oppositifoliis differt: At Savignyæ in Lunarias, nullo interiecto limite, sic confluunt, ut doleam optimi viri nomen de rebus botanicis optimè meriti, in Zoologicis vix ulli secundus, cui non modò ægyptiam plantam, sed pyramidem libenter inscriberem, hùc exulandum esse.

Expl. Tab. XVI. fig. 1. *a* flos duplò auctus; *b* calyx; *c* petalum; *d* stamina; *e* capsula cum calyce persistente; *f* dissepimentum cum seminibus.

CARRICHTERA Vella: *Decand. Regn. veg. II.* 642. Vella annua: *Linn. Sp. Pl.* 895. *Desfont. Fl. atl. II.* 64. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 4.

H. in collibus, et in littore Tripolitano.

ALYSSUM atlanticum: *Desfont. Fl. atl. II.* 71. *tab.* 149. *Willd. Sp. Pl. III.* 462. *Decand. Regn. veg. II.* 305. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 12.

H. in rupibus Pentapoleos.

Obs. Differentiæ characteres non ex *siliquis non compressis*, uti asserit Willdenowius petenda; nam sic reapse compressæ sunt, ut earumdem diameter horizontalis, ad verticalem sit ut 1 : 4., sed mediò tantùm in lentis convexæ modum elevantur, uti ex citata icone, et Decandoll. optimâ descriptione, qui atlanticum specimen sub oculis habuit, apparet. Planta hæc in Africâ boreali ad 35 latitudinis gradum, editiores Atlantis jugos incolens, 2400 metr. circa altitudinis; apud nos depressiores maritimos colles non superat; eamdemque reperi secus Ceutam prope Albingaumum, et in præruptis oris maritimis *Caprazoppa* prope Finalium.

ALYSSUM campestre: *Linn. Sp. Pl.* 909. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 13. *Guss. Cat. Pl. sic. Ten. Fl. neap. Viviani Herb. Fl. lig. Decand. Fl. franç. IV.* 695.

H. in maritimis Tripolitanis.

BISCUTELLA apula: *Linn. Mant.* 254. *Desfont. Fl. atl. II.* 75. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 16. *Ten. Fl. neap.*

B. Siliculis furfuraceo-scabris, margine incrassato, tangente; foliis radicalibus lanceolatis, remotè serratis; caulinis amplexicaulibus; caule diviso hispido. *Nob.*

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Differentias specificas sæpiùs in hoc genere à siliculis petitas unico vocabulo, sequenti modo, reddere propono. Cum siliculæ brevissimo intervallo margine coeunt *tangentes* voco. Cum sic latè coeunt, ut curvi margines oppositi, in lineam rectam confluant, dico *coalitas*; tandem cum siliculæ margine *coalitæ* in stylum decurrere videntur, ut in B. *auriculatâ*, *decurrentes* appello.

BUNIAS ovalis: Glabra; foliis carnosis, ovatis, inæqualiter, et obsoletè crenatis, vel integerrimis; siliquâ subtetragonâ, subdispermâ, nervoso-angulatâ, in calyce pedunculatâ. Tab. XVI. fig. 3.

Radix elongata, simplex, perennis? Tota planta glabra: Caulis 7 — 12 centim. longus, teres, erectus, infernè ramosus: Folia longè petiolata, ovata, basi in petiolum sæpius attenuata, inæqualiter, et obsoletè crenata, quandoque repanda, vel integerrima, carnosa; superiora spathulata, oblonga: Flores in brevem racemum corymbosum dispositi: Pedunculi crassiusculi, angulati: Calyx tetraphyllus, 3. millim. longus, foliolis ovatis, concavis, duobus oppositis paulò majoribus: Corolla violacea; petala obovata, basi in ungues attenuata; unguibus calycem paulò superantibus: Stamina longiora, ungues æquantia: Stylus compressus,

tetragonus, lateribus duobus latioribus; stigma crassum, rotundatum: Silicula 1 — disperma, carnosa, nervoso-angulata, in rostrum abiens, obtusum, compressum, tetragonum, angulis duobus oppositis, in nervi modum excurrentibus: Semina putamine osseo excepta, monosperma: Cotyledones incumbentes.

H. in littore Pentapoleos.

Expl. Tab. XVI fig. 3. *m* calyx; *n* petalum paulò auctum; *o* stamina; *p* germen pedicello insidens; *q* putamen apertum cum semine; *r* semen ad lentem inspectum.

SISYMBRIUM CORONOPIFOLIUM: *Desfont. Fl. atl. II.* 82. *Tab.* 154. *Decand. Regn. veg. II.* 194 sub NASTURTIO.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. Stylus, in meis speciminibus, quartam longitudinis partem totius siliquæ assequitur; in cæteris omnino iconi, et descriptioni citatæ respondet.

SISYMBRIUM SIMPLEX: Caule virgato, subnudo; foliis radicalibus linearibus, serrato-dentatis; caulinis integerrimis; pedunculis filiformibus; siliquis linearibus compresso-planis, in stylum truncatum, brevem, abeuntibus. TAB. XVI. fig. 2.

Planta glabriuscula: Caulis 2 — 3 centim. longus, adscendens, teres, sæpius simplex, vel parcè ramosus: Folia radicalia linearia, acuta, in petiolum attenuata, remotè serrato-dentata, dentibus sæpius piliferis; ad ramorum basim, in plantâ ramosâ, sessilia, linearia, integerrima: Flores racemosi, remoti; pedunculi filiformes, patentes, 2 — 3 cent. longi: Calycis foliola ovato-oblonga, adpressa, concava, margine membranaceo, pilis nonnullis quandoque sparsa: Corolla lutea, calyce duplò longior; petala obovata, in unguem attenuata: Stamina longiora, petalis paulò breviora; antheræ lineares, versatiles: Stigma crassum, truncatum: Siliqua 3 centim. cum dimidio longa, 1. mill. cum dimidio lata, compresso-plana, basi brevissimè attenuata, apice stylo persistente munita, incrassato, 3. mill. longo, angulato: Stigma crassum, truncatum: Semina ovato-subrotunda, compressa, basi obliqua, brevi funiculo adnexa.

H. in littore Tripolitano.

Obs. Differt à S. *murali* glabritie, valvulis omnino planis, non carinatis; quo charactere siliqua S. *muralis* subtetragona apparet; itemque in nostro suturæ exquisitè parallelæ, in S. *murali* siliquæ lineari-ellipticæ, multoties breviores.

Expl. Tab. XVI. fig. 2. *g* petalum; *h* germen cum staminibus; *i* siliquæ apertæ pars, ubi seminum figura, et insertio ad lentem inspicitur; *l* semen.

SISYMBRIUM CINEREUM: *Desfont. Fl. atl. II.* 83. *tab.* 157. *Decand. Regn. veg. II.* 483.

H. in littore Tripolitano.

SISYMBRIUM ERYSIMOIDES: *Desfont. Fl. atl. II.* 84. *Decand. Regn. veg. II.* 482.

H. inter Tripolim, et Cyniphum.

NASTURTIUM PALUSTRE: *Decand. Regn. veg. II. p.* 191. cum synonimis.

H. in paludosis montium Cyrenaicæ.

MATHIOLA ACAULIS: *Decand. Regn. veg. II. p.* 168. Cheiranthus ACAULIS Balb.

H. in littore Pentapolitano.

Obs. Variat foliis linearibus, integerrimis quæ in iisdem speciminibus cum dentatis, et sinuato-dentatis obser-

vantur; itemque flore unico è radice prodeunte. In calycibus, præter pubem stellatam densissimam, glandulæ quoque nigricantes, pedicellatæ, pilis intermixtæ observantur. Flores certò violacei; de fructu dubia ne ego quidem dirimere possum, quòd mea specimina evolutum non proferunt. Illud tantum adnotatum volo, in germine hirsuto stigma sessile, bilobatum; hinc siliqua apice vel bidentata, vel biloba.

MATHIOLA PARVIFLORA: *Decand. Regn. veg. II. p.* 176 *Poir. suppl. III. p.* 194. sub HESPERIDE. CHEIRANTHUS parviflorus *Willd. Sp. Pl.*

H. in littore Tripolitano.

BRASSICA LYRATA: *Desfont. Fl. atl. II.* 96. *tab.* 166. *Decand. Regn. veg. II. p.* 597.

H. in collibus inter Tripolim et Leptim magnam.

Obs. Specimina libyca triplò et quadruplò minora atlanticis; cæterum similima.

BRASSICA SUFFRUTICOSA: *Desfont. Fl. atl. II.* 94. *Will. Sp. Pl. III.* 550. MORICANDIA arvensis *var.* β *Decand. Regn. veg. II.* 627.

H. in maritimis Pentapoleos.

RAPHANUS AMPLEXICAULIS: Foliis caulinis ovato-cordatis, acutis, amplexicaulibus, serrulatis; rostro apicem versùs tetragono. TAB. III. fig. 4.

Pars inferior plantæ deest: Caulis erectus, teres, glaber, uti et reliqua planta: Folia caulina ovato-cordata, acuta, amplexicaulia, serrulata, nervosa: Racemus laxus; pedunculi filiformes 1 — 2 centim. longi: Calyx flavescens, 6 — 7 millim. longus, foliolis linearibus, obtusis: Corolla dilutior, calyce ferè duplò major, petalis obovatis, in unguem sensim attenuatis: Stamina majora corollam æquantia: Stylus paulò longior: Siliqua 11. millim. longa, lævis, linearis, suturis crassiusculis, subnodosa, in stylum producta, tertiam partem siliquæ longitudinis æquantem, apicem versùs tetragonum, apice rotundatum: Semina uniserialia.

H. ad radices montium Cyrenaicæ, Syrtem versùs.

Obs. Faciem omnino refert SISYMBRII *amplexicaulis* Desfont. Fl. atl. II. p. 81, tab. 133; at fructificatione omnino differt.

Expl. TAB. *III. fig.* 4. *l* petalum; *m* siliquæ pars superior cum rostro.

RAPHANUS PINNATUS: Foliis pinnatis, foliolis linearibus, canaliculatis; siliquis hispido-furfuraceis, rostrum complanatum longitudine æquantibus. TAB. XVI. *fig.* 4.

Radix fibrosa, simplex: Planta, siliquâ exceptâ, tota glabra: Caulis simplex, 1. 1/2 — 2 decim. longus, erectus: Folia radicalia, et inferiora longè petiolata, impari pinnata, pinnis linearibus, elongatis, distantibus, supernè sulcatis, oppositis, alternisque, subæqualibus, nonnullis incisis; superiora sessilia; summa simplicia: Flores corymboso-racemosi, breviter pedunculati: Calyx tetraphyllus, glaber, clausus, foliolis ovato-oblongis, duobus oppositis basi productioribus: Corolla alba (in sicco), calyce duplò longior; petala obovata, in unguem attenuata: Stamina longiora petalis paulò breviora: Germen lineare; stigma globosum: In fructu racemi elongati, siliquis remotis, pedunculis brevibus: Siliqua patens, teretiuscula, subtorulosa, tota squamulis furfuraceis tecta, abiens in rostrum ferè longitudine siliquæ, glabrum, subtetragonum, ob medium nervum utrinque excurrentem; apice globosum.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. Siliquam perfectè maturam non vidi, hinc seminum structuram definire haud datum est. Ex hisce vero characteribus habes quibus Raphani genus abundè recognoscas. Quæ si Recentiorum curiositatem, pro dicotyledonum positione, non explent, in suum sibi vitium vertant.

Expl. TAB. XVI. *fig.* 4. *s* calyx; *t* petalum; *u* stamina cum pistillo; *v* germen: omnia paulò aucta.

HESPERIS NITENS : Caule suffruticoso, ramosissimo; foliis sessilibus; inferioribus obovato-oblongis, superioribus lato-linearibus, obtusis; siliquâ subtetragonâ. TAB. V. fig. 5.

Planta glaberrima : Caulis suffruticosus, teres, ex purpurascente in cinereum per ætatem vergens, à basi ipsâ in ramos, ramulosque rigidulos, patentes, divisus: Folia radicalia obovata, basim versùs attenuata; caulina inferiora obovato-oblonga, superiora et ramea linearia, obtusa, 14 millim. longa, 4 lata, basi paulò angustiora; summa amplexicaulia, omnia integerrima, sessilia : Flores racemosi; racemi parviflori : Calyx albicans, basi saccatus, foliola linearia conniventia : Petala in unguem sensim attenuata, calyce ferè duplò longiora, lamina obovata, dilutè purpurea, venis saturatioribus reticulata : Filamenta longiora longitudine calycis, antheræ lineares, erectæ : Siliqua breviter pedunculata, quatuor cum dimidio cent. longa 1. 1/2 millim. lata, compressa, nervo per medias valvulas longitudinaliter excurrente, apice in brevem rostrum producta; stigma persistens duplex, laciniis cylindricis, brevibus conniventibus : Semina uniserialia; cotyledones incumbentes.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

Expl. TAB. V. fig. 3. *f* petalum; *g* stamen; *h* superior pars siliquæ ad lentem auctæ, ut rostri, et stigmatum persistentium forma pateat.

ERODIUM LACINIATUM : *Willd. Sp. Pl. III. p. I.* 633. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 36. GERANIUM laciniatum : *Desfont. Fl. atl. II. p.* 110. ERODIUM Gussonii, *Ten. Fl. neap.* TAB. 63.

E. foliis radicalibus cordatis, inciso-lobatis; superioribus pinnatifidis, incisis; stipulis, involucrisque ovatis, scariosis; pedunculis radicalibus, axillaribusque sæpius multifloris. *Nob.*

H. in littore Tripolitano.

Obs. Planta sic variabilis, ut haud mirer, si novam speciem, in extremis variationis limitibus, intermediis prætervisis, nonnulli botanici recognoverint : At folia radicalia constanter cordata, et lobata; superiora plus minùs pinnatifida, nunquam distinctè pinnata mihi videre contigit, quamvis quandoque decursivè pinnata dici queant. Pedunculi rariùs radicales, uniflori, bracteâ supernè muniti, sæpius axillares, multiflori; aliàs utrique in eodem specimine. Constantissimè bracteæ et stipulæ uniformes, latè ovatæ, nervosæ, scariosæ, optimam differentiam præbent. Hic certò spectat E. *Gussonii* Ten. Fl. neap. cuius descriptio et figura, cum nonnullis ex nostris speciminibus libycis omnino consentit. Si de specie à Tenorio memorata sermo est in clar. Linkii Enum. Pl. sub nomine E. *Gussonii* haud video quomodo folia potiùs *integra*, quàm cum Fl. neap. *lobata* dicantur, ut in cit. figurâ exhibentur. Cæterum stipularum, et bractearum forma, reliquis characteribus minimè repugnantibns, speciem nostram apertè declarant.

ERODIUM ASPLENIOIDES : *Willd. Sp. Pl. III.* 635. *Desfont. Fl. atl. II.* 109. sub GERANIO.

E. acaule, hirsutum; foliis tripartitis, dentatis, laciniis omnibus obtusis, intermediâ longiore, sinuato-lobata; pedunculis multifloris, stipulis involucrisque scariosis. *Nob.*

H. in littore Tripolitano.

ERODIUM GRUINUM : *Willd. Sp. Pl.* 633. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 37. *Ten. Fl. neap. II.* 95.

H. in montibus Cyrenaicæ.

Obs. Varietatem possideo glabram, foliorum laciniis angustissimis.

ERODIUM SUPRACANUM : *Willd. Sp. Pl. III.* 626.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Specimen foliis tantum radicalibus, et radice instructum possideo, hinc dubitanter hanc speciem inter libycas recenseo : Structurâ foliorum quidem congruit : Radix fibrosa, cui hinc indè tuberes magnitudine nucis avellanæ adhærent, carnosi, edules, sapore haud ingrato : Hisce tuberibus, sub *Temeri* nomine, vescuntur Arabes per Cyrenaicâm vagantes.

ERODIUM TORDILIODES : *Desfont. Fl. atl. II.* 107. sub GERANIO.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Species hæc optimâ descriptione à Desfontanesio l. c. sancita, haud video cur à Willdenowio prætermittatur, qui, ne verbo quidem, huius meminit. Suspicor eamdem esse speciem ac Geranium *hirtum* Forsk. descr. 123, et Vahl. Symb. I. p. 49, quam idem Willdenowius perperam inter Gerania retulit, contradicentibus ipsomet autopta Forskahlio, et Vahlio, qui floribus pentandris illud declarant.

GERANIUM MOLLE : *Linn. Sp. Pl.* 955.

Var. GRANDIFLORUM ; corollis calycem duplò superantibus. *Nob.*

H. in totâ Cyrenaicâ.

Obs. Omnia libyca specimina hanc tantum varietatem exhibent ; eamdem quoque in Greciâ recognovit Sibthorpius.

GERANIUM DISSECTUM : *Linn. Sp. Pl.* 956. *Desfont. Fl. atl. II.* 102. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 4. *Ten. Fl. neap. II.* 103. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 225. *Savi Fl. pis. II.* 112. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1409. *Decand. Fl. franç. IV.* 851.

H. in arvis Tripolitanis.

GERANIUM TUBEROSUM : *Linn. Sp. Pl.* 953. *Guss. Cat. pl. sic. Ten. Fl. neap. Math. valgr.* 1565. cum tabulâ satis bonâ quoad folia : *Decand. Fl. franç. VI.* 628.

G. radice tuberculosâ ; foliis quinque vel septem partitis, superioribus sessilibus ; pedunculis in dichotomiâ unifloris, cæterum bifloris ; calyce aristato, petalis bifidis duplò minore. *Nob.*

H. in Cyrenaicâ.

Obs. Rara in Italia civis, quæ in Apenninis tantùm australioribus hactenus reperta, et à Mathiolo in Valle Ananiæ Alpium Tiroliensium, Italiæ superæ incumbentium.

GERANIUM ROBERTIANUM : *Linn. Sp. Pl.* 955.

Var. β PARVIFLORUM : corollâ calycem vix superante *Nob.* Geranium PURPUREUM *Willd. Sp. Pl. III.* 715. *Viviani Herb. Fl. lig. et Pl. cors.*

H. in Cyrenaicâ.

Obs. Specimina ligustica, et corsica unà cum Libycis examini subieci, et arillorum reticula sic variantia comperi, ut nihil ex eorum ambagibus in specie sistendâ deduci posse contra Willdenowium censeam : Neque quidquam solidius ex corollâ calycem non superante concludas, nam corollæ magnitudo pro eâdem specie in Geraniis variare, et duplâ etiam ratione calycem superare, exemplo G. *mollis*, confirmatur, quod tamen nullus Botanicorum in novam condidit speciem.

MALVA SILVESTRIS : *Lin. Sp. Pl.* 969. *Desfont. Fl. atl. II.* 115. *Smith Fl. gr Prodr. II. p. I.* 45. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 227. *Savi Bot. etr. II.* 73. *All. Fl. ped. n.* 1415.

H. in agro Tripolitano et Cyrenaico.

FUMARIA OFFICINALIS : *Linn. Sp. Pl.* 984. *Desfont. Fl. atl. II.* 124. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 50. *Ten. Fl. neap. II.* 117. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 232. *Savi Bot. etr. I.* 169. *All. Fl. ped. n.* 299. *Decand. Fl. franç. IV.* 639.

H. in Cyrenaicæ ruderibus.

Obs. Foliorum laciniæ minimè dilatatæ, sed angustissimæ, canaliculatæ, ut in F. *parviflorâ* Engl. Bot. Tab. 590: At siliqua emarginata speciem declarat.

SPARTIUM MONOSPERMUM : *Linn. Sp. Pl.* 995. *Desfont. Fl. atl. II.* 130. *Guss. Cat. pl. sicil. Decand. Fl. franç. IV.* 493.

S. Ramis striatis, florentibus aphyllis; racemis erectis, contractis; calycis dentibus tribus inferioribus coalitis, triangularibus; vexillo maculato. *Nob.*

H. in littore Tripolitano.

Obs. Solidiores differentiæ characteres explodere curavi, nam lævioris momenti sunt qui vulgò exhibentur, nec satis à S. *sphærocarpo* alieni, cuius phrasim reformare necessarium duxi: Elegantissimam specimina libyca S. MONOSPERMI notam offerunt in vexillo maculâ intensè purpureâ pinnatifidâ, medium usque picto, quod minime naturæ lusum crediderim, licet à nemine memoratam videam. Siciliam, Boream versùs, non prætergreditur; occiduâ crateris parte multò altiùs, nam ex oris hispanis Monspellium usque adscendit.

SPARTIUM SPHOEROCARPUM: *Linn. Mant.* 571.

S. Ramis striatis, florentibus aphyllis; racemis reflexis; calycis dentibus tribus inferioribus longioribus, coalitis, lineari-setaceis; corollâ unicolorâ.

SPARTIUM RIGIDUM: Caule, ramisque aphyllis, spinosis, spinis patentibus, subæqualibus, folia floresque fasciculatim gerentibus. TAB. XVII. fig. 1.

Caulis fruticosus, ramosus, aphyllus, pilis brevibus hirsutus, canescens; totus, unà cum ramis, spinis validissimis, patentibus, alternis, subæqualibus horridus: Folia uno alterove cæspite è spinis unà cum floribus erumpentia ex tuberculo obsoletè bracteifero, ternata, breviter petiolata; foliola obovata, medio paulò majore, sæpius emarginato, singula pilis adpressis hirsuta: Flores ex eodem cæspite plures, foliis interstincti: Pedunculi longitudine petiolorum, hirti, nudi: bractea ovato-rotundata, concava arctè calyci infernè adposita: Calyx hirsutus, urceolato-truncatus, margine repando; vexillum obovatum; alæ oblongæ longitudine vexilli; ungue brevissimo; carina falcata, ferè longitudine alarum: Filamenta monadelpha, stylo paulò breviora: stigma acutum: Germen lineare, margine hirsuto: fructum maturum non vidi.

H. in Magnâ Syrte.

Obs. Spinis validissimis adproximatis, subæqualibus, proliferis, sic peculiarem induit faciem, ut nullimodò cum S. *spinoso*, et *villoso*, quibus foliis, et floribus congruit, confundi debeat.

Expl. TAB. XVII. fig. 1. *a* calyx cum bracteâ; *b* vexillum; *c* ala; *d* carina.

SPARTIUM SPINOSUM: *Linn. Sp. Pl.* 997. *Desfont. Fl. atl. II. p.* 135. *Savi Bot. etr. I.* 171. *Bert. Pl. gen. in amœn.* 169. *All. Fl. ped. n.* 1262. CITISUS spinosus *Decand. Fl. franç. IV.* 503.

H. in collibus Tripolitanis.

ONONIS VESTITA: Glanduloso-hirta; caule flexuoso, tecto; stipularum vaginantium laciniis lanceolatis; foliis ternatis, foliolis ellipticis, profundè denticulatis, summis simplicibus. TAB. XVIII. fig. 1.

Tota planta pilis glanduliferis hirta, per ætatem defluentibus: Caulis 1. 1/2 — 2 decim. longus, à basi ipsâ in ramos divisus, subæquales, adscendentes, flexuosos, totos stipulis vaginantibus tectos: stipulæ monophyllæ, striato-nervosæ, totum foliorum intervallum vaginantes, hinc fissæ, apice bifidæ, laciniis lanceolatis, acuminatis, integerrimis: folia ternata, petiolis è stipularum sinu erumpentibus; summa simplicia; foliola lineari-elliptica, quandoque veluti cuneata, profundè denticulata, lateralia paulò minora: Pedunculi axillares, aphylli, inermes, ad florem geniculati, folio longiores: Calyx 8 millim. longus tubulosus, campanulatus, nervosus, profundè quinquefidus; laciniis lineari-acuminatis, trinerviis: Corolla lutea calyce duplò ferè major; vexillum obovatum cum acumine, striatum; alæ oblongæ, falcatæ, in dentem basi anticâ productæ; carina ovata, apice abruptè acuta: Filamenta carinâ breviora. Fructum maturum non vidi.

H. in arenosis Magnæ Syrteos.

ONONIS FALCATA: Pedunculis bracteatis, folio longioribus; foliis omnibus ternatis, foliolis sublinearibus, apice dentatis; stipulis integerrimis falcatis, basi vaginantibus TAB. XVIII. fig. 3.

Tota planta villis brevibus hirsuta: Caulis erectus, basi ex vaginis arescendo defluentibus ramentaceus, supernè totus ferè vaginis tectus, subsimplex, erectus: Folia omnia ternata, petiolata, foliola 7 — 9 mill. longa, 1. 1/2 — 2 lata, basim versus paulò attenuata, apice obtusiusculo, denticulis 3 — 4 notata, cæterum integerrima, sessilia, medio vix pedicellato: Stipulæ nervosæ, basi in vaginam amplexicaulem, brevem coalitæ, hinc bifidæ, laciniis lanceolato-falcatis, integerrimis: Flores in extremo caule axillares, pedunculati, pedunculi folio paulò longiores; bracteolâ lineari-acutâ supernè muniti: Calix quinquefidus, quinquenervosus, laciniis lineari-lanceolatis, in flore tandem deflexis: Corolla lutea, calyce duplò ferè longior; vexillum obovato-subrotundum, reflexum, emarginatum vel integerrimum, venis violaceis exaratum; alæ oblongæ obtusæ, vexillo paulò breviores; carina longitudine alarum, rostrata: Legumen maturum non vidi.

H. in Cyrenaicâ.

ONONIS VAGINALIS: *Pers. Ench. II.* 291. *Vahl. Symb. I.* 55. *Vent. Hor. Cels. Tab.* 32.

O: Villoso-glandulosa; stipulis infundibuliformibus, vaginantibus, bifidis, laciniis ovato-acutis, dentatis, inferioribus aphyllis; foliis ternatis, summis simplicibus; pedunculis elongatis, inermibus. *Nob.* TAB. IV. fig. 4.

Tota planta pilis brevibus, patentibus, intermixtis glanduliferis, hirsuta: Caulis infernè stipularum ramentis tectus, mox in ramos adscendentes divisus, sæpius bifidos, stipulis infundibuliformibus vestitos, grossè nervosis, bifidis, laciniis ovato-acutis, serrato-dentatis; inferioribus aphyllis, mediis folia ternata in bifurcatione gerentibus: Folia nunc breviter petiolata, nunc sessilia; foliola sessilia, obovata, et cuneiformia, ambitu extremo argutè dentato, nervis crassis in singulos dentes procurrentibus: Flores axillares, pedunculi filiformes elongati, prope florem obsoletè articulati, inermes: Calyx quinquepartitus, nervosus, quinque millim: longus, laciniis lineari-lanceolatis, trinerviis: Corolla lutea; vexillum obovatum, rotundatum, vix emarginatum; alæ oblongæ, ungue brevi; carina apice acutiuscula: Stylus, et stamina longitudine carinæ: Legumen non vidi.

H. in littore Pentapolitano.

Obs. In Vahlii descriptione, ex imperfecto fortasse specimine desumptâ, à Forskalio in Ægypto lecto, multa desiderantur. Ventenatius plantam cultam exhibuit, quæ multum à spontaneâ abludit. Hisce rationibus huius singularis O. speciei descriptionem et iconem instaurare oportunum duxi.

Expl. TAB. IV. fig. 2. *a* calyx, *b* vexillum, *c* alæ, *d* carina.

ONONIS CALYCINA: Glanduloso-hirta, foliis ternatis, supremis simplicibus; foliolis cuneato-obovatis, serrato-dentatis; stipulis laxè amplexantibus, bilobis; calycibus corollam superantibus. Tab. XVIII. fig. 2.

Tota planta pilis rariusculis, glanduliferis sparsa; Radix simplex, elongata, fibrillosa: Caulis erectus, à basi ipsâ ramos emittens erectos, virgatos, fastigiatos: Folia petiolata, ternata, summa simplicia, foliolis obovato-cuneatis, ambitu exteriore tantùm profundè denticulatis, intermedio breviter pedicellato, paulò majore: Folia simplicia angustiora: Stipulæ laxè amplexicaules, bilobæ, lobis ovato-acutis, serrato-dentatis, nervosis: Flores in extremis ramis

axillares, pedunculi duplò stipulis longiores, nudi, inermes, uniflori: Calyx 1 cent. longus, nervosus, profundè quinquefidus, laciniis lineari-acuminatis, ferè setaceis, corollam superantibus: Corolla lutea; vexillum rotundatum, plicatum, ungue brevi, carinâ longius; alæ subfalcatæ; carina rostrata: Legumen maturum non vidi.

H. in littore Pentapolitano.

Obs. Habitu quodammodo accedit ad O. *villosissimam* Desfont. Fl. atl. II. 147. tab. 192. at abundè differt, foliorum formâ, quæ semper basi cuneata, lateribus integerrimis, non verò ovata toto margine dentata, itemque floribus pedunculatis, nunquam sessilibus.

Expl. Tab. XVIII. fig. 2. *f.* vexillum; *g* alæ; *h* carina.

ANTHYLLIS BARBAJOVIS: *Linn. Sp. Pl.* 1013. *Desfont. Fl. atl. II.* 149. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 59. *Guss. Cat. Pl. sic. Ten. Fl. neap. II.* 141. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1141. *Decand. Fl. franç. IV.* 517.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

Obs. Ab Hispaniâ per Provinciam borealem extremam attingit latitudinem inter Savonam et Genuam, ubi lætè viget in rupibus mari imminentibus inter *Albizzola*, et *Celle*. Orientali plagâ non ultrà littus Etruscum.

ANTHYLLIS VULNERARIA var. β: *Linn. Sp. Pl. Smith Fl. gr. Prodr. II.* 59. *Ten. Fl. neap. II.* 139. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 237. *Decand. Fl. franç. IV.* 516. A. VULNERARIA: *Desfont. Fl. atl. II.* 51.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Non huius loci esse synonimum Bert. Amœn. p. 391. ex clar. Auctoris verbis colligo, *differt à specie flore paulò minore, aliter colorato*, nec integrè luteo, et dubium confirmat Syn. Allionii A. *vulnerarioides* Fl. ped. I. p. 343. tab. 19. fig. 2. suæ varietati à Bertolonio adiectum. Nam in var. β A. *vulnerariæ* flos non minor, quàm in specie, sed vel æqualis, vel fortasse major: Itemque vexillum, et alæ non *albidæ subinde rubidæ*, sed intensè purpureæ; quod non tantùm citata synonima declarant, quàm specimina libyca, corsica, et ipsa ligustica. Cæterum synonimum Allioni pro suo Astragalo *vulnerarioidi* non fidentiùs recipiendum, quàm Allionius ipse recepit; nam et lecta specimina perdidisse fatetur, quibus iconis veritatem recognosceret. Illud tantùm ex citatâ icone certò deduci potest ne varietatem quidem A. *vulnerariæ* hìc exhiberi, cum Astragali faciem gerat, et involucris palmatis destituatur.

VICIA MONANTHOS: *Desfont. Fl. atl. II.* 165. *Decand. Fl. franç. IV.* 592. LATHYRUS monanthos: *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 67. ERVUM monanthos: *Linn. Sp. Pl.* 1040. *All. Fl. ped. n.* 1210.

Var. β HIRSUTA, foliis, leguminibusque hirsutis. *Nob.*

γ ANGUSTIFOLIA, hirsuta, foliis omnibus linearibus, angustissimis, truncato-mucronatis. *Nob.*

H. secus littus Pentapolitanum.

Obs. Planta inter Lathyros, et Vicias charactere generico ambigens: at habitu hisce propriùs accedit; hinc inter Vicias retuli Linnæano canoni assentiens, *habitum*, in generibus, *occultè consulendum*; et *characterem non constituere genus, sed genus characterem.*

VICIA INTERMEDIA: Leguminibus subsessilibus, solitariis, hirsutis; foliolis mucronatis, in foliis superioribus linearibus, in inferioribus obcordato-cuneatis; stipulis immaculatis, semisagittatis, integerrimis. TAB. XIX. fig. 1.

Tota planta hirsuta: Caulis 1 — 2 decim. longus, angulatus, simplex, suberectus: Folia breviter petiolata, inferiora bi-triuga, cirrho obsoleto, foliolis obcordato-cuneatis; superio-

ribus sensim angustioribus, tandem linearibus, 3 — 4 jugis, omnibus emarginatis, mucronatis, suboppositis; petiolo in cirrhum simplicem elongato: Stipulæ immaculatæ, semisagittatæ, laciniis acutis, integerrimis: Flores 2. centim. longi, erecti, breviter pedunculati, pedunculo solitario, unifloro: Calyx tubulosus, basi gibbus, decemnervosus, albicans, quinquedentatus, dentibus linearibus, apicem versùs sensim setaceis, corolla intensè violacea, glabra, duplò calyce longior; vexillum obovatum, emarginatum; carina acuta, alis brevior, alba, apice nigra: Stigma capitatum, barbatum: Legumen erectum, patens, suturâ seminiferâ rectum, alterâ falcatum, 2. 1/2 — 3. centim. longum, 5. millim. latum, subcompressum, hirsutum.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Obs. Species inter V. *lathyroidem*, et V. *sativam* intermedia, at ab utrinque expositis characteribus differt.

VICIA SATIVA: *Linn. Sp. Pl.* 1037. *Desfont. Fl. atl. II.* 164. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 71. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 245. *Savi Fl. pis. II.* 191. *Bert. amœn. Pl. gen.* 173. *Decand. Fl. franç. IV.* 593.

H. in montibus Cyrenaicis.

LATHYRUS APHACA: *Linn. Sp. Pl.* 1029. *Desfont. Fl. atl. II.* 157. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 64. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 241. *Savi Bot. etr. II.* 250. *All. Fl. ped. n.* 1216. *Decand. Fl. franç. IV.* 577.

H. in pratis Cyrenaicæ.

LATHYRUS CICERA: *Linn. Sp. Pl.* 1030. *Desfont. Fl. atl. II.* 158. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 65. *Ten. Fl. neap. Savi Fl. pis. II.* 185. *All. Fl. ped. n.* 1218. *Decand. Fl. franç. IV.* 579.

H. cum præcedenti.

ORNITHOPUS SCORPIOIDES: *Linn. Sp. Pl.* 1049. *Desfont. Fl. atl. II.* 173. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 80. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 239. *Savi Fl. pis. II.* 141. *All. Fl. ped. n.* 1246. *Decand. Fl. franç. IV.* 603.

H. in montibus Cyrenaicæ.

SCORPIURUS ACUTIFOLIA: Pedunculis bifloris; leguminibus extrorsum spinis confertis, hamosis, hirtis; foliis elliptico-lanceolatis; stipulis membranaceis. TAB. XIX. fig. 4.

Radix simplex, elongata, apice fibrillosa, annua: Caulis 6 — 11 centim. longus, erectus, angulatus, subsimplex: Folia elliptico-lanceolata, integerrima, utrinque hirsuta, ad lentem tota punctis nigris referta; petioli utrinque muniti stipulâ elongatâ, lineari-acuminatâ, membranaceâ: Flores axillares, pedunculi nudi, folium non superantes, biflori, bracteolis duabus membranaceis, ovatis, ad pedicellorum divisionem muniti: Calyx hirtus, quinquefidus, laciniis lineari-acuminatis: Corolla paulò calyce longior, in sicco purpurea; vexillum reflexum obovatum; carina alis paulò longior, lineari-oblonga: Legumen contortuplicatum, extùs spinulis hamosis refertum, totum spinulis ipsis non exceptis, hirtum.

H. in arenosis aggeribus Pentapoleos.

Obs. Neque hæc libyca species Linnæanum effatum infringere videtur, nempè Scorpiuros omnes ex unicâ tantùm specie procreatos esse, non ideò tamen in unam confluunt, licet minori intervallo distent.

Expl. TAB. XIX. fig. 4. *g* leguminis particula lente inspecta.

ASTRAGALUS TRIMORPHUS: Hirtus; foliis inferioribus simplicibus, superioribus ternatis, summis pinnatis; leguminibus subbinis, incurvis, subcylindricis. TAB. X. fig. 2.

Radix annua, simplex, elongata: Reliqua planta pilis subadpressis canescens: Caulis erectus, teres, 8 — 12 centim. longus, nunc simplex, nunc à basi ipsâ in ramos divisus: Folia inferiora (non cotyledonalia) longè petiolata, ovata; superiora ternata, foliolis oblongis, acutis; suprema impari-pinnata, pinnis bijugis, ellipticis, subæqualibus: Stipulæ minimæ, ovato-lanceolatæ, persistentes: Pedunculi axillares, solitarii, nudi, erecti, elongati, subbiflori; pedicelli breves, bracteolis linearibus muniti; altero quandoque elongato: Calyx sublabiatus, pilis nigricantibus hirtus, profundè quinquedentatus, dentibus linearibus, setaceis: Corolla duplò ferè calyce longior, purpurascens; vexillum obovatum, acutum, in unguem attenuatum; alæ lineares, obtusæ; carinæ petala obovata, falcata, in unguem attenuata: Legumen 2. 1/2 centim. longum, pilis adpressis tectum, subcylindricum, incurvum, supernè, ob valvulas inflexas, sulcatum, biloculare.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Obs. Singularis sanè Astragali species, quæ Ornithopi larvatam gerit faciem; fructu verò genus suum declarat.

Expl. TAB. X. fig. 2. *a'* vexillum; *b* ala; *c'* carina: omnia lente aucta.

ASTRAGALUS BIFLORUS: Caulescens, hirsutus; stipulis brevissimis; foliis pinnatis, foliolis ellipticis; pedunculis filiformibus, folio longioribus, subbifloris; calyce pilis nigricantibus, hispido. TAB. XX. fig. 1.

Radix simplex, annua, elongata: Reliqua planta pilis patentibus hirsuta, canescens: Caulis erectus, teres, 8 — 12 centim. longus, nunc simplex, nunc à basi ipsâ in ramos divisus: Folia inferiora longiùs petiolata, omnia impari pinnata, 5 — 6 juga; foliola sessilia, oblonga, et obovata, quandoque paulò obliqua; in foliis superioribus basim versùs magis attenuata: Stipulæ brevissimæ, lineari-lanceolatæ, membranaceæ: Pedunculi axillares, folio paulò longiores, erecti, filiformes, biflori, rariùs triflori; bracteolis ovatis, minimis, membranaceis, ad florum basim muniti; Calyx pilis nigris, patentibus hirtus, tubulosus, 1 decim. longus, quinquedentatus, dentibus lineari-acutis, erectis: Corolla cœrulea, glabra; vexillum oblongum, basim versùs attenuatum, acutè emarginatum, striatum; alæ lineares, obtusæ, vexillo breviores; carinæ petala obovata, latè falcata; stylus exsertus, longitudine alarum: Legumen maturum non vidi.

H. in Cyrenaicâ.

Expl. TAB. XX. fig. 1. *a* vexillum; *b* alæ; *c* carina.

ASTRAGALUS LANIGERUS: *Willd. Sp. Pl. III. p. II.* 322. *Desfont. Fl. atl. II.* 181. *tab.* 202. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.*

A. acaulis, foliolis ellipticis, subrotundis, subtus hirsutis; floribus radicalibus aggregatis, pedunculis brevibus, subquadrifloris; squamis, petiolis, calycibusque lanatis. *Nob.*

H. in aggeribus arenosis littoris Tripolitani.

Obs. Rectè Willdenovius proximam A. *excapo* hanc speciem constituit; imò sic proxima, ut difficulter eruatur differentia. Nam A. *excapus*, et hâc ipsâ specie magis lanigerus; at ille totus colore pubis, etiam in foliis rufescit, in *lanigero* pili albi in foliis sic rari, ut intensè virentem superficiem foliorum haud velent: Hinc habitum diversum præsefert: His adde foliola in A. *lanigero* triplò minora, supernè (in meis speciminibus) pube ferè denudati: Calycis dentes in A. *excapo* ex lineari in setaceum vergunt; in nostro lanceolato-lineares. Comparationem institui ex speciminibus A. *excapi* à me in alpibus helveticis lectis.

ASTRAGALUS EPIGLOTTIS : *Linn. Mant.* 274. *Desfont. Fl. atl. II.* 183. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 88. *Guss. Cat. pl. sic. Decand. Fl. franç. IV.* 573.

H. in collibus prope Leptim magnam.

ASTRAGALUS BOETICUS : *Linn. Sp. Pl.* 1068. *Desfont. Fl. atl. II.* 184. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 87. *Guss. Cat. Pl. sic. Ten. Fl. neap. Viviani Pl. cors. Herb.*

H. in Cyrenaicæ montibus.

Obs. Non ultrà regnum neapolitanum in Italiâ progreditur; magis borealem latitudinem assequitur in Corsicâ.

ASTRAGALUS STELLA : *Linn. Syst. veg.* 567. *Desfont. Fl. atl. II.* 187. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 87. *Decand. Fl. franç.*

H. in Cyrenaicâ.

TRIFOLIUM SULCATUM : Leguminibus monospermis, obovatis, arcuatim parallelo-sulcatis; racemis folium æquantibus; foliolis ellipticis, serrulatis; stipulis lanceolato-acuminatis, inferioribus dentatis. *Nob.*

MELILOTUS sulcata *Desfont. Fl. atl. II.* 193. *Decand. Fl. franç. IV.* 558. TRIFOLIUM mauritanicum *Willd. Sp. Pl. III.* 1354. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 93.

Obs. Perperam sanè in huius speciei diagnosi comparatio instituitur cum T. *messanensi*, velut ac communibus characteribus ambigerent; at T. *messanense* foliis obovatis, cuneatis, apice truncatis, longè distat â nostro foliis ellipticis.

TRIFOLIUM MICRANTHUM : Racemis paucifloris in capitulum laxum, pedunculatum contractis; leguminibus monospermis, nitidis, sphœricis; foliolis cuneato-obovatis; stipulis ovatis; caule diffuso. TAB. XIX. fig. 1.

Radix fibrosa, annua? Caules ex eadem radice plures, filiformes, lignosi, vix 5. cent. longi, glabri, cæspitosi, ramosi, supernè flexuosi: Folia inferiora petiolata, petiolo folioli longitudine, superiora subsessilia; foliola cuneato-obovata, ambitu exteriore denticulata, quandoque emarginata; quatuor circa millim. longa, 2. 1/2 lata, glabriuscula; stipula profundè bifida, hirsuta, laciniis ovatis, acutis, nervosis, ciliato finbriatis: Pedunculi axillares, nudi capillares, folio longiores, erecti, apicem versus florifleri: Flores 4 — 8, racemoso-capitulati, pedicellati, cernui, minimi; vix 2. millim. longi; bracteolæ minimæ ad pedicellorum basim: Calix tubulosus, glaber, quinquefidus, laciniis lineari-acutis, setigeris, adpressis, duabus superioribus maiori sinu dissitis, et brevioribus: Corolla, calycis tertiâ parte longior; in fructu membranacea, persistens; vexillum ovatum, acutiusculum, alas amplectens: Alæ oblongæ: Siliqua rotunda, monosperma: Semen sphœricum, subcompressum, glaberrimum, colore badio.

H. in montibus Cyrenaicæ.

Expl. fig. *a* flos; *b* capsula cum stilo persistente; *c* semen; *d* folium cum stipulâ: omnia microscopio aucta.

TRIFOLIUM SCABRUM : *Linn. Sp. Pl.* 1084. *Desfont. Fl. atl. II.* 199. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 99. *Biv. Sic. cent. II.* 68. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 252. *Bert. Fl. alp. ap. in amœn.* 395. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1110. *Decand. Fl. franç. IV.* 552.

H. in montibus Cyrenaicæ.

TRIFOLIUM TOMENTOSUM : *Linn. Sp. Pl.* 1086. *Desfont. Fl. atl. II.* 200. *Smith Fl. gr.*

Prodr. II. p. I. 100. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 254. *All. Fl. ped.* 1114. *Viviani Fl. lig. Herb. Decand. Fl. franç. IV.* 534.

H. in montibus Cyrenaicis.

TRIFOLIUM AGRARIUM: *Linn. Sp. Pl.* 1087. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 102. *Ten. Fl. neap. All. Fl. ped. n.* 1117.

H. cum præcedente.

Obs. Juxtà Smithium l. c. huius speciei synonima retexenda.

TRIFOLIUM STRICTUM: *Linn. Sp. Pl.* 1079. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 256. *Viviani Pl. cors. Herb. Savi obs. in Trif.* 114. *All. Fl. ped. Decand. Fl. franç. IV.* 620. *T.* lævigatum? *Desfont. Fl. atl. II* 195. *Tab.* 208.

H. in pascuis Cyrenaicæ.

Obs. Sufficit huius T. specimina cum tab. Desfontanesii Fl. atl. l. c. comparasse, quò unicam speciem duobus nominibus appellatam fuisse suspicetur. Differentiæ characters à Linnæanâ descriptione petiti, nempè *folia inferiora obovata, pedunculi pedunculo* breviores, hic patentissimam Typographi mendam exhibet, qui *pedunculum* pro *petiolo* accepit; alterum eò minùs faciendum censemus quòd foliorum radicalium haud meminit Clar. Desfontanesius, et in eiusdem figurâ veluti jam delapsa delineantur. Cœterum nil hâc figurâ exactiùs ad speciem nostram exhibendam adduci potest. Neque solidiores characteres ex calyce plus minùsve longiore, vel colore pallido flavescente, albido, vel rubescente desumuntur; nam lævioribus hisce notis plantam hanc ludentem in specimininibus corsis recognovi. In fructu pænitus congruunt. Liceat igitur de T. *lævigato* dubia exserere, donec novis differentiæ characteribus africana hæc species confirmetur, vel nullis inventis, delcatur.

TRIFOLIUM ANGUSTIFOLIUM: *Linn. Sp. Pl.* 1503. *Desfont. Fl. atl. II.* 198. *Smith Fl. gr. Prodr.* 98. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 255. *Savi obs.* 48. *Bert. amœn. Alp. app.* 395. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped.* 1104. *Decand. Fl. franç.* 529.

Var α corollis duplò calicem superantibus; spicis elongatis.

β corollis calycem æquantibus; spicis globosis.

H. utraque varietas in montibus Cyrenaicis.

Obs. Var α in Palæstinâ reperiri jam indicaverat Linnæus.

LOTUS CRETICUS: *Linn. Sp. Pl.* 1091. excluso syn. Moris. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 105. *Desfont. Fl. atl. II.* 203. *Guss. Cat. pl. sicil. Viviani Herb. Fl. lig.*

L. suffruticosus, sericeo-hirsutus; foliolis lineari-lanceolatis, æqualibus; stipulis, bracteisque conformibus; leguminibus glabris, calyce duplò longioribus. *Nob.*

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

Obs. Ex charactere quo Morisonius Hist. II. 117. speciem hanc designavit *siliquis longissimis propendentibus* patet non hanc respexisse speciem cui legumina calyce duplò tantùm longiora, sed diversam, et suspicor L. *Cytisoidem* cui legumina reapse longissima, propendentia: L. *creticus* nostra quoque littora incolit, eamque in præruptis rupibus *Capo di Noli* in Liguriâ occiduâ inveni. Nondum in reliquo continente italico quod sciam observatus.

LOTUS SECUNDIFLORUS: Suffruticosus, sericeo-argenteus; foliolis obovato-cuneatis; stipulis ovato-obliquis; pedunculis capituliferis, secundis, reflexis; bractearum foliolis obovatis. TAB. XXI. fig. 3.

Tota planta longis pilis adpressis, argenteo-sericea: Caulis lignosus erectiusculus, sulcatus, ramulosus: Folia caulina brevissimè petiolata, petiolo complanato, foliola omnia subsessilia, obovato-cuneiformia, utrinque sericea; stipulæ ovatæ, obliquæ, subsessiles, foliolis vix mi-

nores : Pedunculi axillares, reflexi, secundi, 2 — 3 centim. longi : Capituli depressi, 6 — 8 flori; bractea, ad capitulorum basim ternata, calyce paulò brevior; foliolis longitudine subæqualibus, lateralibus obliquè ovatis, mediâ obovato-cuneatâ : Flores brevissimè pedunculati, 1. 1/2 centim. longi : Calyx tubulosus, corollâ duplò brevior, subbilabiatus, dentibus lanceolatis, duobus vexillo adstantibus, alteroque carinæ subiecto, æqualibus; duobus lateralibus brevioribus : Corolla lutea; vexillum obovatum, emarginatum, basi sensim attenuatum, patens; alis oblongis conniventibus, paulò maius; carina falcata, rostrata : stylus longus, depressus : Legumen, vix corollâ excussâ, lineare, calyce paulò longior, etiam ad lentem glabrum, polyspermum; maturum non vidi.

H. in collibus siccis Cyrenaicæ.

Obs. Loto *Cytisoidi* cuius specimina alia è Corsicâ accepta, alia in Liguriâ occidentali à me reperta possideo, accedit; at expositis characteribus, et pube argenteâ, quâ totus nitet, reapsè differt, quod magis ex sequentibus in apertum erit.

Expl. Tab. XXI. fig. 3. *g* calyx; *h* vexillum; *i* alæ; *l* carina; *m* genitalia; *n* germen : omnia magnitudine naturali.

LOTUS CYTISOIDES : *Linn. Sp. Pl.* 1092. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 258. *All. Fl. ped. n.* 1136. *tab.* 20. *f. I. Viviani Herb. Fl. lig. et Pl. cors. Decand. Fl. franç. IV.* 555.

Lotus siliquosa maritima lutea, cytisi facie *Bar. icon.* 1031.

L. suffruticosus; foliolis obovatis; stipulis ovato-acutis; bractearum foliolis ovato-lanceolatis; pube sericea per ætatem defluente; capitulis pedunculatis, erectis. *Nob.*

Obs. Speciem in Libyâ non repertam hùc retuli quò eiusdem differentiæ à præcedente, aptiùs innotescant : Nam multâ nunc, pro hâc specie, oscitantiâ Botanici laborant, quorum nonnulli dubitanter Linnæi synonimum L. *Cytisoidi* adiiciunt, uti Decandollius l. c. alii Allionii Fl. Ped. l. c. plantam à Linnæanâ abiiciunt, ut Willd. Sp. Pl. At Linnæus speciem suam Barrelierii auctoritate, et icone citatâ firmavit, quæ differentiam, et characterem proprium in stipulis, et bracteis exserit; quod et ipse Ant. de Jussieus in notis ad Barrelerium adverterat : Hisce characteribus hærens Allionius, speciem hanc, Niceæ repertam, Barrelieri figuræ consonam, Linnæi fide recepit, et satis bonâ icone illustravit. Hanc Allionii speciem in utrâque Liguriâ legi, et iisdem quoque locis natalibus, ab Allionio memoratis : hanc in Provinciâ reperit Decandolius, Doct. Seraphini in Corsicâ australi, Tenore in extremâ Italiâ. Quænam ergo erit Loti species, iuxta Linnæum Europæ australis incola, Barrelieri synonimo consona, si non hæc cui adamussim omnes hi characteres competunt? Cur ergo synonimum Allionii à Willdenowio omissum, neque ullibi relatum? Quid suo Linnæano L. *cytisoidi* restat, si Barrelieri synonimo orbetur, quod Allionii plantam exhibet? Satius sanè fuisset inane nomen è plantarum elencho expungere, quàm speciem repetitis observationibus confirmatam omittere.

LOTUS PUSILLUS : Diffusus, hirsutus; foliolis, stipulis, bracteisque ovato-ellipticis; pedunculis unifloris, folio triplò longioribus. TAB. XVII. fig. 3.

Planta pygmæa, tres circa centim. longa, tota pilis brevibus, patentibus, hirsuta, Caules, ex eâdem radice plures, diffusi, divergentes, simplices, filiformes, rigiduli, subæquales : Folia ternata, petiolo complanato, brevissimo, foliolis ovato-ellipticis, æqualibus; stipulæ omnino conformes : Pedunculi axillares, triplò foliis longiores, uniflori : Bractea ad basim floris ternata, calyce duplò brèvior, foliis conformis : Flos, pro plantæ magnitudine amplus, 1. centim. longus : Calyx ut in nostro Loto *secundifloro* : Corolla lutea, duplò ferè calyce longior, vexillum patens, reflexum, ultrà alas exsertum; carina rostrata : legumen maturum non vidi.

H. in Cyrenaicæ montibus.

Obs. Pigmæa quidem species, at Gygantem parentem non video à quo pygmæam hanc sobolem ortam contendas. L. *eduli* accedit at in hoc folia glabra, obovato-cuneata, in nostro hirsuta, ovato-elliptica: adde calycis structuram longè diversam.

Expl. Tab. XVII. fig. 3. omnia ad lentem inspecta; *g* calix; *h* vexillum; *l* alæ; *m* carina.

LOTUS UNIBRACTEATUS: Diffusus, hirsuto-rufescens; foliolis obovatis; bracteis obliquè ovatis; pedunculis axillaribus, unifloris; bracteâ monophyllâ, ellipticâ munitis. Tab. XVIII. fig. 4.

Radix annua, simplex: Reliqua planta longis pilis, patentibus, rufescentibus, hirta: Caules ex eâdem radice plures, 6 — 7 centim. longi, diffusi, adsurgentes, filiformes, subsimplices: Folia breviter petiolata, ternata; foliolis sessilibus, obovatis, subæqualibus; lateralibus obliquis; stipulæ ovatæ, et ovato-oblongæ, obliquæ, magnitudine foliola æquantes: Flores axillares, pedunculati; pedunculi folio longiores, uniflori, erecti, quandoque deflexi, bracteâ ellipticâ ferè longitudine calycis, prope basim muniti: Calyx hirsutissimus, quinquefidus, laciniis lanceolato-linearibus, apicem versùs ferè setaceis, corollâ paulò brevioribus: Corolla bicolor; vexillum, carina, et alarum apex intensè violaceus, cæterum flava; vexillum subreflexum, ovato-acutum, basi attenuatum; alæ longitudine carinæ, oblongæ; carina falcata, longè rostrata. Legumen maturum non vidi.

H. in montibus Cyrenaicæ.

Expl. Tab. XVIII. fig. 4. *a* vexillum; *b* alæ; *c* carina: Omnia ad lentem inspecta.

LOTUS TETRAGONOLOBUS: *Linn. Sp. Pl.* 1089. *Desfont. Fl. atl. II.* 201. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 103. *Biv. sic. cent. I.* 54. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 257. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1127. *Decand. Fl. franç. IV.* 553.

H. in collibus maritimis Cyrenaicæ.

LOTUS HIRSUTUS: *Linn. Sp. Pl.* 1091. *Desfont. Fl. atl. II.* 204. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 105. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 258. *Savi Fl. pis. II.* 145. *Bert. Pl. gen. in amœn.* 179. *All. Fl. ped. n.* 1132. *Decand. Fl. franç. IV.* 556.

L. SERICEUS: *Rohde in Schrad. neu. Journ. bot.* 1809. *p.* 42. *Decand. Fl. franç. VI.* 572.

H. in montibus Cyrenaicæ.

Obs. Pace clar. Rohdii, qui L. *sericeum* primus evulgavit, et Decandollii, qui è speciminibus in Liguriâ maritimâ lectis in novam speciem confirmavit, nulli revera adsunt limites, quibus hic L. *sericeus* à L. *hirsuto* sejungatur. Quod non tantùm ex siccis speciminibus colligo, quàm quotidianâ edoctus observatione, in specie apud nos vulgatissimâ.

DIPLOPRION (1).

CHAR. ESSENT. Legumen uniloculare, polyspermum, in spiram involutum; suturis linearibus, valvularum plano, axi spiræ parallelo.

Genus novum, inter Papilionaceas leguminosas collocandum, propè Medicaginem.

DIPLOPRION MEDICAGINOIDES: Foliis ternatis; stipulis ovato-lanceolatis; pedunculis axillaribus, filiformibus, nudis; floribus capitulatis. Tab. XIX. fig. 2.

Radix simplex, elongata: Reliqua planta hirsuta: Caulis 6 — 7 cent. longus, à basi ipsâ

(1) *Diploprion* à διπλος duplex, et πριων *serra*, valet *Bisserrula*, petitâ similitudine à fructu Bisserrulæ *Pelicinus*, cuius figuram, si spira evolvatur, in parvo apprimè exhibet.

in ramos divisus, filiformes: Folia longè petiolata, ternata, foliolis obcordato-cuneiformibus, lateralibus subsessilibus, omnibus ambitu exteriore denticulatis: Stipula utrinque ad petiolorum basim, ovato-lanceolata, nunc obsoletè denticulata, nunc integerrima: Pedunculi axillares, filiformes, nudi, folio longiores: Flores 6 — 10 in capitulum congesti, duo circa millim. longi, brevissimè pedicellati, bracteolis minimis in pedicello munitis: Corolla lutea. Calyx tubulosus, profundè quinquedentatus, dentibus subæqualibus, lineari-setaceis: Corolla duplò calyce longior, papilionacea; vexillum oblongo-obovatum, emarginatum, erectum: Alæ paulò breviores, lineari-obtusæ, in unguem attenuatæ; carinæ petala ovata, basi in appendicem exserta, hinc abruptè in unguem attenuata, vexillo breviora: Filamenta decem connexa: Legumen lineare, complanatum, utrinque attenuatum, stigmate persistente, globoso, utrâque suturâ pectinato-spinulosum, uniloculare, polyspermum, in spiram involutum, valvulorum plano, volutæ axi, parallelo.

H. in aggeribus arenosis Magnæ Syrteos.

Expl. Tab. XIX. fig. 2. *a* flos magnitudine naturali; *b* idem auctus; *c* corolla; *d* carina; *e* legumen explicatum; *f* idem microscopio auctum, uti excusso flore observatur; *h* foliolum lente inspectum.

Obs. Legumen cochleatum cùm duobus nunc generibus in eâdem familiâ conveniat, Medicaginis genus sequenti modo reformare necesse est:

MEDICAGO CHAR. ESSENT.: Legumen spirale; valvularum plano axi spiræ perpendiculari, suturâ exteriore longiore.

TRIGONELLA PETIOLARIS: Leguminibus subcapitatis, pendulis, pedicellatis, subfalcatis; petiolo duplò pedunculos superante; foliolis obcordato-cuneatis; stipulis obliquis, ovato-acutis, profundè dentatis. Tab. XVIII. fig. 5.

Tota planta longis rarisque pilis, adspersa: Caulis debilis, decumbens, teres, striatus: Folia longè petiolata, ternata, foliolo medio pedicellato, lateralibus paulò minoribus, sessilibus, omnibus cuneato-obcordatis, ambitu exteriore inæqualiter raris dentibus, quandoque obsoletis notato, subtus nervosis; stipulæ dimidiato-ovatæ, acutæ, aliàs ovato-lanceolatæ, profundè dentatæ: Pedunculi axillares, petiolo duplò breviores: Flores cerui, in racemum capituliformem dispositi, pedicellati, bracteolâ lineari acutâ, ad pedicellorum basim muniti, lutescentes: Calyx tubulosus, albicans, quinquedentatus, dentibus lanceolatis, adpressis, superioribus paulò longioribus: Corolla duplò ferè calyce longior; vexillum obovatum; alæ, et carina longitudine vexilli: Stamina diadelpha: Legumina cernua, compressa, lineari-acuminata, subfalcata: at nondum perfectè matura observavi.

H. in pascuis Cyrenaicæ.

Expl. Tab. XVIII. fig. 5. omnia ad lentem inspecta; *a'* vexillum; *b'* alæ; *c'* carina; *'d* legumen cum calyce, *e'* calyx cum staminibus et germine.

SCORZONERA SERRULATA: Caulibus unifloris; foliis linearibus, calyceque glaberrimis; seminibus tuberculato-serrulatis; foliis lineari-acuminatis. Tab. XVII. fig. 4.

Radix simplex, crassiuscula: Caulis adscendens, subsimplex, glaber, infernè foliosus, cæterum nudus: Folia linearia acuminata, striata, plana, margine scarioso, inferiora, basim versùs sensim dilatata, amplexicaulia, superiora sessilia: Flos terminalis, maximus, ferè 5 centim. longus: Calyx subcylindricus, glaber, foliolis imbricatis, exterioribus duplò triplòve longitudine minoribus, ovato-acutis, interioribus sensim ovato-lanceolatis, tandem lineari-

lanceolatis, omnibus margine submembranaceo: Corolla purpurea, calyce duplò longior; semi-flosculi tubus filiformis, apice paulò incrassatus, hirtus; ligula truncata, quinquedentata: Antheræ in longum tubum coalitæ: Stigma bifidum, exsertum: Semina subcylindrica brevia, multi-angulata, anguli toti tuberculis acutis asperati, in serræ modum dispositis: Pappus densus, setis apicem versùs simplicibus, infernè plumosis: Semina nondum perfectè matura vidi.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Expl. Tab. XVII. fig. 4. o flosculus cum semine et pappo; *n* semen.

SONCHUS TINGITANUS: *Willd. Sp. Pl. III. p. III.* 1516. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 126. PICRIDIUM tingitanum: *Desfont. Fl. atl. II.* 220.

H. in montibus Cyrenaicis.

APARGIA TARAXACIFLORA: Setuloso-hispida; foliis sinuato-pinnatifidis; floribus paniculatis; calycis foliolis exterioribus laxis. TAB. XXII. fig. 1.

Tota planta setulis albicantibus, patentibus hispida: Radix simplex, annua: Caulis hinc inde ramulosus, teres, ramis superioribus in pedunculos elongatis, nudiusculis: Folia radicalia sinuato-pinnatifida, longè in petiolum attenuata, laciniis obtusis, inæqualibus; superiora laciniis profundioribus, angustioribusque: Flos 1 cent. longus: Calyx ex hemisphærico cylindricus, densis setulis hispidus, calyculatus foliolis duplò brevioribus, lineari-acutis, laxis; foliola interiora duplici serie disposita, lineari-lanceolata: Corolla lutea, paulò calycem superans; ligulæ truncatæ, quadridentatæ, tubus hirsutus: Semina linearia, brevia: Pappus sessilis, piloso-plumosus, laxus: Receptaculum excavato-punctatum, pilis sparsum.

H. prope Cyrenem.

Expl. TAB. XXII. fig. 1. *b* semiflosculus cum semine; *c* semen cum pappo; *d* pappi radius; *a* receptaculum.

APARGIA HASTILIS: *Willd. Sp. Pl. III. p. III.* 1548.

Var. β scapo squamuloso, foliis pilis simplicibus, margine præsertim, hirtis. *Nob.* TAB. XXVI. fig. 1.

H. in Cyrenaicâ.

Obs. Licet non absque oscitantiâ hanc plantam in varietatem A. *hastilis* recipiam, nolo tamen novam speciem condere in genere ubi consultiùs esset nonnullas expungere, quàm novas adiicere. Foliis, glabritie scapi calycisque cum A. *hastili* quidem, et magis quàm cum reliquis congruit; at folia pilis raris sparsa; scapus squamulosus, non nudus, et quod majoris momenti differentiam præbet; calyx non basi tantùm squamis nonnullis parvis munitus, sed reapse imbricatus.

Expl. Tab. XXVI. fig. 1. *a* flosculus cum semine et pappo.

HIERACIUM SIMPLEX: Scapo simplici, unifloro, prope calycem incrassato, squamifero; foliolis calycinis, unicâ serie, in cylindrum conniventibus; foliis obovato-ellipticis, sinuato-dentatis; seminibus apicem versus coarctatis. TAB. XIII. fig. 4.

Radix simplex annua: Folia omnia radicalia obovato-elliptica, sinuato-dentata, dentibus utrinque duobus tribusve, pilis brevibus ad lentem hispidula: Scapus uniflorus, vix 7 cent. longus, glaber, prope calycem incrassatus, squamisque tribus, quatuorve, lineari-acutis munitus, per ætatem defluentibus: Calyx cylindricus, foliolis 8 — 9 basi veluti coalitis, lineari acutis, conniventibus; dorso nervosis, hirsutisque: Corolla lutea, calyce duplò longior: Ligulæ truncatæ, quadridentatæ, tubus lævis: semen lineare ovatum, apice coar-

ctato, hinc veluti urceolato: Pappus sessilis, 7 — 10 setulis, rigidulis, ad lentem scabris, ultrà calycem paulò exsertis compositus: Receptaculum nudum.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Obs. Nullo semiflosculosarum generi adamussim congruit: Major verò cum Hieraciis, licèt adversante calyce, quàm cum reliquis consensus.

Expl. Tab. XIII. fig. 4. *a* semen cum pappo; *b* semiflosculus cum semine.

CREPIS NUDIFLORA: Setuloso-hirta; foliis spathulato-oblongis, dentatis; pedunculis nudis, calyculi foliolis lineari-setaceis, patentibus; corollâ calicem paulò superante; seminibus stipitatis, transversè rugosis. Tab. XIII. fig. 2.

Radix simplex: Reliqua planta setulis patentibus sparsa: Caules 1. decim. circa alti, ex eâdem radice plures subæquales, erectiusculi, alii aphylli, apicem versùs nunc bifidi in pedunculos unifloros, nunc parcè dichotomi; alii parcè foliosi: Folia radicalia spathulato-oblonga, ferè sessilia, dentata, dentibus porrectis, ciliata; caulina, ubi adsunt, semiamplexicaulia, cæterum reliquis conformia; floralia ad pedunculorum dichothomiam lineari-acuminata et lineari setacea: Flos paulò ultra centim. longus: Cayculi foliola lineari-setacea, patentia, inæqualia, tertiam circa calycis longitudinem æquantia: Calyx basi paulò ampliatus, cylindricus, 7 — 8 foliolis linearibus acutis, compositus, in tubum conniventibus, nervo dorsali setulis nigricantibus patentibus hirto, itemque pilis brevibus adpressis, lente conspicuis, sparso: Corolla lutea, calyce paulò major: Ligulæ apice profundè quadridentatæ: Semen lineari-ellipticum, transversim tuberculato-rugosum, in longum stipitem attenuatum: Pappus densis pilis simplicibus compositus: Receptaculum nudum.

H. in Cyrenaicæ pascuis.

Expl. Tab. XIII. fig. 2. *à* semiflosculus; *b* semen magnitudine naturali; *c* idem auctum.

CREPIS NIGRICANS: Setuloso-hispida; foliis caulinis lanceolato-amplexicaulibus, sinuato-dentatis; summis integerrimis; calyculi foliolis lineari-acutis, patentibus; calycinis dorso pilis nigris hirtis. Tab. X. fig. 3.

Planta setulis albis, patentibus sparsa: Caulis paniculatus, foliosus, teres, ramosus, ramis divaricatis: Folia radicalia desunt: caulina ad ramorum ortum lineari-lanceolata, amplexicaulia, sinuato dentata, dentibus porrectis, basim versùs dentato-incisa; summa, ad pedunculorum originem, lineari-acuta, sessilia, integerrima: Pedunculi ex extremis ramis nudi: Calix 1. centim. longus, foliolis 8. compositus, linearibus acutis, in cylindrum conniventibus, dorso setulis longis, nigris patentibus, duplici serie dispositis, hispidus: Calyculi foliola, calyce duplò breviora, patentia, laxa, lineari-lanceolata, pilis nigris, rigidis, hispida: Corolla calyce duplò ferè longior, lutea; ligulæ truncatæ, 4 — 5 dentatæ: Semina linearia, brevia: Pappus sessilis, densissimis pilis simplicibus compositus; Receptaculum ad lentem foveolis margine membranaceis sculptum.

H. in montibus Cyrenaicæ.

Expl. Tab. X. fig. 3. *a*" semiflosculus cum semine; *b*" semen cum pappo.

CREPIS FILIFORMIS: Foliis lineari-lanceolatis, ellipticisque, integris, vel remotè sinuato-dentatis; pedunculis aliis radicalibus, filiformibus, unifloris, nudis, aliis multifloris foliosis; bracteis linearibus in laxum calyculum confluentibus. Tab. XXI. fig. 1.

Radix perennis, simplex, fibrillosa : Folia radicalia primora elliptica, obsoletè dentata, reliqua lineari-lanceolata, inæqualiter remotèque sinuato-dentata, omnia in petiolum attenuata, margine præsertim scabriuscula; caulina dentato-pinnatifida, summa lineari-lanceolata, integerrima : Pedunculi ex eâdem radice plures, filiformes, nudi, foliorum longitudine, uniflori : Caulis pedunculis radicalibus vix longior, uno alterove folio munitus, apicem versus florifer; bracteæ lineari-acuminatæ, ex extremis pedunculis in caliculum laxum confluentes, dorso nervoso, setuloso, hispido : Flos parvus, 7. mill. longus : Calycis foliola 9 — 10 in cylindrum conniventia, lineari-acuta, margine submembranaceo, nervoso, setuloso : Corolla lutea, calyce duplò ferè longior : Ligulæ quinque-dentatæ : Semen lineare : Pappus sessilis, densis, et scabris pilis compositus : Receptaculum nudum.

H in Cyrenaicâ.

Expl. tab. XXI. fig. 1. *a* Semiflosculus cum pappo et semine; *b* calycis foliolum.

HEDYPNOIS LACINIFLORA : Foliis caulinis amplexicaulibus, lanceolatis; pedunculis elongatis, supernè incrassatis, nudis; ligulis quadrifidis, lacinulis apice glandulosis. TAB. XVII. fig. 2.

Pars inferior plantæ deest : Caulis ramosus, in pedunculos abiens filiformes, elongatos, nudos, apicem versus crassescentes, hirtos, unifloros : Folia caulina ad pedunculorum basim amplexicaulia, lanceolata, utrinque hirsuta, integerrima : Flos 10 — 11 millim. longus : Calyx cylindricus, totus setulis albis, contortis, brevibus refertus; basi bracteolis nonnullis calyculatus, brevissimis, ovato-acutis, linearibusque, adpressis; foliola decem, unicâ serie disposita, lineari-acuta, dorso nervosa : Corolla flava, calycis longitudinis tertiam partem superans : Semiflosculi tubus hispidus; ligula apice 4 — 5 fida, lacinulis apice glandulâ nigrâ notatis : Semina linearia, exteriora squamis laceris, brevibus; interiora paleis quinque coronata, lineari-acuminatis : Receptaculum nudum.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Expl. TAB. XVII. *fig.* 2. *e* Semen disci pappo paleaceo coronatum; *f* semiflosculus exterior, cum semine.

CATANANCHE LUTEA : *Linn. Sp. Pl.* 1142. *Desfont. Fl. atl. II.* 239. *Smith Fl. gr. Prodr.* 145. *Guss. Cat. Pl. sicil. Ten. Fl. neap. II.* 176. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 277. *All. Fl. ped. n.* 754.

H. in Cyrenaicæ collibus.

Obs. Fig. Barr. l. c. vel pessima, vel speciem diversam refert. Fide Allionii in lignsticam civem recipio, licet in locis ab eodem memoratis eamdem frustrà perquisiverim, eiusdemque deffectus in Galliâ Provinciali dubia confirment.

CARDUUS TENUIFLORUS : *Willd. Sp. Pl. III.* 1652. *Smith Fl. gr. Prodr. II.* 149. *Ten. Fl. neap. Viviani Herb. Fl. lig. Decand. Fl. franç. IV.* 79.

H. in Cyrenaicæ montibus.

ATRACTYLIS CAESPITOSA : *Desfont. Fl. atl. II.* 254. *Tab.* 225. ACARNA CÆSPITOSA : *Willd. Sp. Pl. III. p. III.* 1700.

H. in maritimis Tripolitanis.

STÆHLINA CHAMAEPEUCE : *Lin. Syst. Nat. ed* 12 : *II.* 538. *Smith. Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 163. SERRATULA Chamæpeuce *Linn. Sp. Pl.* 1147.

S. Caule fruticoso tomentoso; foliis sparsis lincaribus, integerrimis, margine revolutis,

longissimis, floribus corymbosis, calycibus globosis, foliolis lineari-acuminatis, exterioribus subreflexis subulatis. *Nob.* Tab. XXIII.

Caulis totus denso tomento niveo tectus, 4 — 8 decim. longus, teres, erectiusculus, infernè simplex, denudatus, hinc ramulos 3 — 5 subverticillatos emittens, apicem versùs corymbosus, in pedunculos 4 — 6 sæpius unifloros, divisos: Folia sparsa, sessilia, linearia, acuminata, integerrima, 1. decim. cum dimidio longa, 3. millim. lata, ob marginem revolutum ferè filiformia; subtus incana, supernè, per ætatem præsertim, nudiuscula, superiora ad basim pedunculorum longè breviora, basim versus paulò latiora, quandoque utrinque lacinulâ unâ alterâve mucronatâ aucta: Pedunculi subnudi, sæpius uniflori. Calyx 2. cent. longus; totidemque latus, hemisphæricus, tomentoso-floccosus; imbricatus, foliolis lineari-acuminatis, interioribus apice purpurascentibus, erectis, exterioribus, basilaribus præsertim, rigidioribus, subulatis, patentibus: Corolla purpurea; flosculi duo centim. cum dimidio longi; tubus filiformis, basi incurvatus, supernè ampliatus, quinquefidus, laciniis linearibus, obtusis, suberectis: Stamina quinque; filamenta brevia, ad tubi dilatationem inserta, mediò plumosa, seu potiùs villoso-cirrhosa; Antheræ in tubum coalitæ, longitudinem laciniarum corollæ æquans, apice quinquedentatum, basi pro singulâ antherâ membranulas tenues bipartitas, seu bifidas emittens: Stylus lætè purpureus, longitudine antherarum; stigma brevissimè bifidum: Germen oblongum, teretiusculum, basi paulò coarctatum: Pappus germinis è calyce exsertus: Semen obovatum glaberrimum: Pappus densissimus, argenteus ex setulis crassiusculis, pilis brevibus, subæqualibus, disticis plumosus: Receptaculum setulis argenteis densissimis, mediam calycis longitudinem æquantibus, stipatum.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

Obs. Non sufficit hanc speciem cum nonnullis congenerum ex gr. cum S. *dubia* comparasse, ut dissensu in characteribus genericis perspecto, in novum genus sistatur. In primis statuendum videtur, quomodo vetus Stæhlinæ genus reformare conveniat: Nam quot in hoc genere species totidem fortasse abberrationes; quæ si pro unaquaque specie sedulò notentur, ut jam in nonnullis optimo consilio facere adgressus est Clar. Smithius in Fl. gr. Prodr. tunc quid pro vetere S. genere retinendum, quid seiungendum perspicuè innotescet. Credo Sibthorpii fide clar. Smithium dixisse antheras basi non plumosas, cuius errorem facile erit occulatissimo Botanico recognoscere: Interim observare præstat, in speciebus, quæ antheris basi plumosis dicuntur, num antheræ ipsæ, an potius filamenta, ut in hâc specie, barbâ instruantur, quod minùs accuratè observatum fuisse suspicor. Veterum botanicorum huius speciei descriptiones, et figuræ prorsus ineptæ. Iconum quatuor quæ de hâc specie profferuntur, Alpini *De Pl. exot.* 76. Plucknetii *Alm. tab.* 94. *f.* 3. Moris. *Hist. Pl. III. tab.* 26. *fig.* 8. et Ponæ *Monte Baldo descr.* p. 75. quam pessimam appellem ambigo. In Italiâ, neque in Italis insulis, quod sciam, nondum reperta. In Florâ gallicâ quoque desideratur, licet nactâ occasione ex Stæhlinæ genere Clar. Decandollius, *Fl. franc. IV.* 106. ad Cirsii genus amendandam esse declaraverit: Magis Borealem latitudinem fortasse assequitur in oris Illyricis, ubi solertissimus Anguillara eamdem reperisse refert in Insula Veghia. *Sempl. Par.* 202.

Expl. Tab. XXIII. f. a Flosculus cum semine; et pappi portione; *b* antherarum tubus cum filamentis corollæ insertis; *c* stylus; *d* semen.

SANTOLINA maritima: *Linn. Mss. in Sp. Pl.* 1182. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 165 *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 284. *Viviani pl. lig. cors. et sard. Herb.* athanasia maritima *Linn. Sp. Pl.* 1182. *Mant. II.* 464. filago maritima *Linn. Sp. Pl. ed I.* 192. diotis candidissima *Desfont. Fl. atl. II.* 261. *Decand. Fl. franç. IV.* 201. *Savi Bot. etr. III.* 145.

H. in littore Tripolitano. ☉

APATANTHUS (1).

CHAR. ESSENT.: Receptaculum paleaceum: Pappus sessilis, pilosus: Corollulæ omnes hermaphroditæ; radii ligulatæ; disci tubulosæ, tubo infernè filiformi, supernè in cylindrum expanso, ore truncato.

Genus novum ad Syngenesiam polygamiam æqualem Linn. spectans; interque corymbiferas radiatas iuxtà ordinem naturalem collocandum.

APATANTHUS CRINITUS: Hispidus; foliis obovatis in pedunculum attenuatis; scapo unifloro. TAB. VII. fig. 3.

Radix annua, simplex, mox in fibras divisa: Folia omnia radicalia obovata, in petiolum attenuata, utrinque pilis setulosis sparsa, integerrima: Scapus aphyllus, 16 centim. longus, nudus, sulcatus, apicem versùs setulis crebrioribus, in calycem confluentibus, uniflorus: Flos 18 millim. longus: Calyx cylindricus, heptaphyllus, totus setulis nigricantibus, patulis tectus, foliolis linearibus, intùs concavis, simul in cylindrum conniventibus: Corolla radiata lutea; semiflosculi hermaphroditi tubus brevis, ligulæ lineares, truncatæ, quadridentatæ; antheræ in cylindrum coalitæ: Stigma exsertum, bifidum: Corollulæ disci tubulosæ, hermaphroditæ, basi filiformes, paulò ultrà medium abruptè in cylindrum expansæ, apice truncatum, obsoletè denticulatum, antheras coalitas excipiens: Stigma bifidum, paulò exsertum: Semina linearia; in disco et radio conformia: Pappus pilosus: Receptaculum paleaceum; paleis linearibus acutis.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Habitus omnino Hieracii, at singularem certò structuram promit, flore radiato; et radii semiflosculis hermaphroditis.

Expl. TAB. VII. f. 3. *a'* calycis foliolum intùs inspectum; *b'* semiflosculus, cum germine; *c'* flosculus scissus cum genitalibus; *'d* idem cum semine, pappo et receptaculi paleâ.

ARTEMISIA PYROMACHA: Fruticosa, incana, foliis apicem versùs laciniatis, pinnatisve; foliolis nunc integris, nunc incisis, subteretibus; supernè sulcatis. TAB. XIII. fig. 5.

H. in deserto Magnæ Syrteos.

Obs. Hanc A. speciem memoratam tantùm volui, ut de eâ nuperi viatores pleniora referant. Omnia quæ possideo specimina flore destituuntur, neque florentem viatori nostro unquam videre contigit; fortasse insecti cuiusdem punctură lacessitam, quâ eiusdem caulis, ramique glomeribus denso tomento gossypino compactis hinc inde obvestiuntur. Hisce glomeribus, fomitis vice, scintillas silice excussas excipiunt Arabes Deserti ad ignem excitandum.

GNAPHALIUM CONGLOBATUM: Fruticosum; foliis lineari-spathulatis, sessilibus, margine subrevolutis, canescentibus; floribus terminalibus, congestis, ovato-conicis, truncatis; foliis calycinis adpressis, ovato-acutis. TAB. III. fig. 5.

Caulis fruticosus, incanus, erectus; folia sparsa, lineari-spathulata, sessilia, margine subrevoluta, infernè præsertim tomento arachnoideo incana, supernè obscurè virentia: Flores in extremo caule congesti, 9 — 12 sessiles, extremis foliis caulinis suffulti: Calyx aureus, scariosus, ovato-conicus, truncatus, foliolis adpressis, ovato-acutis, imbricatis; interioribus sensim oblongis, tandem lineari-obtusis: Flosculi calycem æquantes, subæquales; semen minimum, lineare: Pappus pilosus: Receptaculum nudum.

(1) Ab *απαταω seduco*, et *ανθος* flos, deducto nomine ab habitu decipiente huius speciei Hieracium, vel Crepidem referentis.

H. in Magnæ Syrteos aggeribus arenosis.

Expl. Tab. III. fig. 5. *n* calycis foliolum exterius; *o* idem paulò interius; *p* idem flosculis attiguum; *q* semen pappo coronatum.

GNAPHALIUM STOECHAS *Linn.? Sp. Pl.* 1193. *Desfont. Fl. atl. II.* 265. quoad descriptionem. *Decand. Fl. franç. IV.* 132. sub ELYCHRYSO, excluso syn. *Rothii.*

G. fruticosum, canescens; foliis linearibus; floribus corymboso-congestis; calycibus globoso-cylindricis, foliolis ovatis, laxè triplici serie imbricatis. *Nob.*

H. in collibus siccis Tripolitanis.

Obs. V. observationes ad sequentem speciem. In Florâ atlanticâ inexactè certò pappus in hâc specie dicitur *plumosus*, dum specimina omnia pilosum exhibent.

GNAPHALIUM ITALICUM: *Roth Cat. I.* 115. G. ANGUSTIFOLIUM: *Seb. et Mau. Fl. rom.* 285. *Savi Bot. etr. III.* 148. *Viviani Herb. Fl. lig. Bar. ic.* 410. *Decand. Fl. franç. VI.* 467. sub ELYCHRYSO.

G. fruticosum, canescens; foliis linearibus, corymbis ex pedunculis elongatis, racematim multifloris; calycibus cylindricis, foliolis adpressis, multiplici serie imbricatis, basilaribus rotundatis, minimis. *Nob.*

Obs. Species cum præcedente à multis, præeunte Linnæo, confusa, nec sanè eiusdem distinctioni consulere, qui differentiam à foliis plus minùs angustis, vel tomentosis, nullo quidem limite coercendis, deduxerunt. Inflorescentia, et calycum compages solidiores characteres offerre mihi videntur. In G. *Stœchade* pedunculi corymbum efficientes, sic breves, ut corymbo ipso ferè occultentur. In G. *italico* pedunculi corymbiferi racematim elongantur, pedunculorum ramis apicem versùs multifloris: In *Stœchade* calyx breviter cylindricus, flosculis sic farctus, ut mox expansus, cylindrico-globosus adpareat. In *italico* calyx longior, cylindricam formam ad florum usque excussionem servat. Tab. cit. Bar. huius speciei florem satis congruè exhibet. Nil G. *italico* in Liguriæ collibus vulgatius: G. *Stœchas* apud nos nunquam reperi. G. *italici* nomen iuxtà cl. Rothium retinui. Cuinam ex duabus hisce speciebus Linnæi synonimum referri debeat, nonnisi ex eiusdem herbarii inspectione certò definiri posse videtur.

SENECIO LAXIFLORUS: Corollis radiatis, revolutis; foliis pinnatis, pinnatifidisque, laciniis incisis, margine revolutis, obtusis; pedunculis unifloris; calyce bracteis lineari-acutis laxè calyculato; foliolis calycinis apice penicillato-pilosis.

Radix simplex in fibras capillares, numerosissimas divisa: Caules ex eâdem radice plures, 1 — 2 decim. longi, parcè ramosi, glabriusculi, supernè in pedunculos unifloros elongati: Folia admodum, pro loci naturâ, variantia, radicalia (in solo macriore) pinnatifida, caulina pinnata, pinnis linearibus sæpius integris; in solo uberiore radicalia bipinnatifida, caulina ad basim dilatata, amplexicaulia, incisa; laciniæ superiores plus minùs divisæ, margine constanter in omnibus varietatibus revoluto, apice obtusæ: Bracteæ lineari-acutæ, in pedunculis sparsæ, ad calycis basim, simul 4, vel 5 veluti in laxum calyculum confluentes: Calyx cylindricus, glaberrimus, glaucescens; foliola linearia acuta, margine submembranaceo, apicem versùs fusca, cæspitulo pilorum munita: Corolla lutea, ligula emarginata, tandem revoluta: Flosculi longitudine calycis, ore quinquedentato: Semen lineare pilosum: Pappus pilosus: Receptaculum nudum.

H. in aggeribus arenosis prope Tripolim.

Obs. Habitum quodammodo gerit S. *coronopifolii* Desfont. Fl. atl. II. 273, hic verò à nostro differt foliis, et foliolis subulatis, semiteretibus, pedunculis foliosis, calycis foliolis intactis, non penicillato-pilosis.

Expl. Tab. XI. fig. 3. *a''* folium calycinum magnitudine naturali; *b''* idem auctum; *c''* semiflosculus cum semine; *d''* flosculus cum semine; *e''* semen pappo destitutum.

CHRYSANTHEMUM PUSILLUM : Glaberrimum, foliis radicalibus obovato-ellipticis, superioribus lineari-lanceolatis, utrisque integerrimis; intermediis apice dentatis, sublinearibus, omnibus sessilibus; caule unifloro. TAB. XIII. f. 3.

Radix simplex, elongata; reliqua planta glaberrima: Caulis 3 — 4 centim. longus, teres, simplex, uniflorus: Folia radicalia inferiora (non cotyledonalia, nam alterna) obovata, et obovato-elliptica, basim versùs attenuata, integerrima; caulina linearia, supernè paulò latiora, apice obtuso, quandoque truncato, denticulato: suprema lineari-lanceolata, integerrima: Flos in extremo caule solitarius: Calyx hemisphæricus, arctè imbricatus, foliolis ovatis, acutiusculis, margine membranaceo, nigricante: Corolla duplò calyce major: Semiflosculi ligulæ albæ, obovatæ, sinuato-emarginatæ: Flosculi tubulosi, quinquedentati: Semina linearia, brevia, coronata tubulo membranaceo corollulas excipiente (1): Receptaculum nudum.

H. in Magnâ Syrte.

Expl. TAB. XIII. fig. 3. *a''* foliolum calycis; *b''* semiflosculus cum semine; *c* flosculus cum semine.

CHRYSANTHEMUM MACROCEPHALUM: Foliis sessilibus, linearibus, apice palmatis, tridentatisque, dentibus mucronatis; summis integerrimis; caule unifloro. TAB. X. fig. 4.

Caulis 1. decim. circa longus, simplex, rarò à basi ipsâ ramulos nonnullos emittens, glabriusculus, adscendens, supernè in pedunculum nudum uniflorum elongatus: Folia sessilia, inferiora ultra medium linearia, apicem versus abruptè palmata, et palmato-dentata; superiora sensim dilatata, apice tridentata, dentibus laciniisque integerrimis, mucronatis; summa, linearia, integerrima: Flos terminalis, pro plantæ magnitudine, maximus; diametro 3. centim. Calyx hemisphæricus, imbricatus, foliolis exterioribus ovato-acutis, interioribus ovato-oblongis, singulis margine latè membranaceo, lacero cinctis, in interioribus, flori attiguis magis elongato, fusco: Corolla lutea, concolor, duplò calyce longior: Semiflosculi ligulæ oblongæ, obtusæ, tridentatæ, quandoque sinuato-emarginatæ: Flosculi cylindrici, quinquedentati: Semina linearia, aptera, sulcata, apice membranulâ urceolatâ, corollulæ basim arctè excipiente, coronata: Receptaculum nudum.

H. prope Tripolim.

Expl. TAB. X. fig. 4. *d.* calycis foliolum exterius; *e* idem interius corollæ attiguum; *f* flosculus cum semine; *g.* semiflosculus cum semine; duo postrema ad lentem aucta.

CHRYSANTHEMUM CORONARIUM: *Linn. Sp. Pl.* 1254. *Desfont. Fl. atl. II.* 283. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 186.

H. in montibus Cyrenaicæ.

ANTHEMIS ARABICA: *Linn. Sp. Pl.* 1263. *Desfont. Fl. atl. II.* 289.

H. in littore Tripolitano.

ANTHEMIS CLAVATA: *Willd. Sp. Pl. III. p. III. Desfont. Fl. atl. II.* 287. *Viviani Herb. Pl. Sard*: ANACYLUS clavatus *Decand. Fl. franç. VI.* 481.

Radix fibrosa: Caulis erectus, uti et tota planta, pilosus, apice in pedunculum uniflorum

(1) In plurimis Chrysanthematum speciebus hanc seminis structuram recognovi, licet omnia Chrysanthemata pappo destituta declarentur. Quod si hunc urceolum membranaceum pappi nomine haud donandum esse contendunt, sibi non constant, nam pappum *emarginatum* ineptâ sanè denominatione dixerunt in Anthemide, ubi ac in Chrysanthemate observavi eamdem structuram, uti videre est in sequentibus.

incrassatus, ramos nonnullos supernè emittens patentes, unifloros. Folia inferiora petiolata, superiora sessilia, amplexicaulia, circumscriptione oblonga, bipinnata, pinnis multipartitis, linearibus, alternis, acutis, mucronatis, basim versùs sensim brevioribus, minùsque divisis; summa pinnis simplicibus: Pedunculi supernè denudati: Calyx hæmisphericus, arctè imbricatus, foliolis primum ovato-acutis, maturescente fructu, obtusioribus, margine scarioso, fuscescente: Radius dilutè luteus: ligulæ ellipticæ, apice tridentatæ, tubo brevi: Flosculorum tubus cylindricus, apice quinquefidus, laciniis lineari-lanceolatis. Semina oblonga, apice denticulis coronata, margine scarioso cincta, utrinque supernè auriculato: Receptaculum paleaceum, paleis ovatis, abruptè acutis, apice quandoque piliferis.

H. in Cyrenaica.

Obs. Huius Plantæ specimina possideo lecta in parvâ insulâ *la Maddalena* Sardiniæ boreali extremitati adiectâ. In continente italico nondum, quòd sciam, observata. In Galliâ boream versùs Narbonam non superat.

ANTHEMIS MARITIMA: *Linn. Sp. Pl.* 1259. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 188. *Desfont. Fl. atl. II. p.* 285. *Guss. Catal. pl. sicil. Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 294. *All. Fl. ped. n.* 670. *Decand. Fl. franç. IV.* 203.

A. Foliolis carnosis, petiolatis, petiolis basi dentatis, supernè pinnatifidis, laciniis dilatatis, dentato-incisis, excavato-punctatis; calycibus piloso tomentosis; seminibus apteris, calyculo membranaceo coronatis. *Nob.*

H. in littore Tripolitano.

Obs. Descriptio A. *maritimæ* Linnæana, synonimo Michelii, et Tillii H. Pis. firmata, nostram certò respicit cui etiam assentiuntur Botanici supracitati. At Smithii descriptio in Fl. Brit. II. 904, et Engl. Bot. tab. 2370. plantam non pænitus nostræ consonam refert, cui caules incani, folia non punctata, receptaculi paleæ flosculis duplò longiores, calycisque foliola apice plumoso-laciniata: Cæterum de synonimis Tilii, et Fl. Rom. l. c. nullus dubito, cum iisdem locis ad ostia Tiberina specimina legerim, quæ nullomodo à libycis, dissentiunt. Semina in meis speciminibus linearia, sulcata, margine nudo, apice calyculo membranaceo, truncato coronata, flosculos excipiente. Quod aduotatum volui, ne iuxtà Desfontanesium habeantur margine utrinque membranaceo, et iuxtà Sebastianum et Maurum, nuda. Paleæ receptaculi elliptico-acutæ: Videant quæso Clarissimi Smithius et Desfontanesius quid in eorumdem pro hâc specie descriptionibus, corrigendum, vel addendum sit, ne tantorum Botanicorum dissensu, huius speciei cognitio infirmetur.

BUPHTHALMIUM SPINOSUM: *Linn. Sp. Fl.* 1274. *Desfont. Fl. atl. II.* 200. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 195. *Ten. Fl. neap. II.* 253. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 296. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 650. *Decand. Fl. franç. IV.* 217.

H. in collibus Tripolitanis, et Cyrenaicis.

BUPHTHALMIUM ASTEROIDEUM: Foliis alternis, caulinis superioribus semiamplexicaulibus, lineari-acutis; foliolis calycinis linearibus, trinerviis, mucronatis, radium sextuplò superantibus. TAB. XXV. fig. 2.

Tota planta pubescens: Caulis erectus, teres, rubescens, apicem versùs ramos emittens, caulem superantes, apice unifloros: Folia caulina inferiora lineari-oblonga, basim versùs paulò angustiora, superiora lineari-acuta, infernè tuberculis minimis, nigricantibus sparsa, omnia apice mucronata: Flos ex caule in pedunculum nudum abeunte, terminalis; reliqui in extremis ramis, solitarii: Calyces lanati, foliolis exterioribus 9 — 12 in calycem hemisphæricum dispositis, hinc radiatim patentibus, elongatis, trinerviis, mucronatis, inæqualibus, longioribus sextuplò radium superantibus: Semiflosculi numerosissimi, multiplici serie, tubus brevissimus, ligulæ tenues, profundè tridentatæ: Semina semifloscularum elliptica, margine mem-

branaceo, apice emarginata: Flosculi tubulosi, ore profundè quinquedentato, quorum semina linearia, margine non membranaceo, apice squamulis minimis coronata.

H. in montibus Cyrenaicæ.

Expl. Tab. XXV. fig. 2. *a'* semiflosculus cum semine; *b'* semen semiflosculi lente auctum; *c* flosculus cum semine.

CENTAUREA CONTRACTA: Acaulis; calycibus palmato-spinosis; floribus congestis, radicalibus; subsessilibus; foliis primoribus lineari-acuminatis, integerrimis, reliquis pinnatifido-dentatis. Tab. XXIV. fig. 1.

Radix simplex, crassiuscula, elongata: Caulium rudimenta brevissima, fere inconspicua ex eadem radice plura: Folia primora lineari-acuminata, integerrima, reliqua linearia, in longum petiolum attenuata, remotè et inæqualiter dentato-laciniata, apice, laciniisque obtusis, hirtulis: Flores è radice et caulium rudimentis, congesti, radicem veluti coronantes: Calyx ovato-elongatus, ex viridi dilutè lutescens, foliolis inferioribus, unâ alterâve, ovatis, in spinam acuminatis, mediis squamâ cartilagineâ munitis, palmato-spinosâ; interioribus, ovato-acuminatis, unispinosis: Corolla calycem duplò ferè superans, lutea; tubus exsertus, quinquefidus, laciniis lineari-acutis.

H. in rupibus Pentapoleos.

Expl. Tab. XXIV. fig. 2. Flos ad lentem inspectus.

CENTAUREA BIMORPHA: Calycibus palmato-spinosis; floribus altero radicali sessili, cæteris rameis terminalibus; foliis radicalibus integris, runcinatisque, rameis oblongis, dentatis, decurrentibus. Tab. XXIV. fig. 3.

Radix simplex, crassiuscula, brevis, apice florifera, ramosque nonnullos emittens: Folia radicalia hispidula, nonnulla obovato-oblonga, in petiolum longè attenuata, denticulis hinc inde raris notata, quandoque remotè dentata; apice hastata; reliqua sinuato-runcinata, denticulata, apice trilobo; ramea oblonga, remotè dentata, decurrentia; floralia integerrima: Flos alter major radici insidens; reliqui in extremis ramis solitarii, omnes sessiles: Calyx 2. centim. cum dimidio longus, ovatus, arachnoideus, per ætatem glabriusculus, foliola exteriora ovata, hinc sensim lanceolato-linearia, apice omnia squamâ cartilagineâ, palmato-spinosâ, munita spinulis 5 — 7 reflexis, nigricantibus, subæqualibus: Corolla purpurea duplò ferè calyce longior: Flosculi tubus quinquefidus, laciniis linearibus acutis.

H. in Cyrenaicâ.

LACELLIA (1)

CHAR. ESSENT. Receptaculum paleaceo-setosum: Corolla radiata ex flosculis tubulosis, elongatis, filiformibus, quinquefidis, sterilibus: Flosculi hermaphroditi tubulosi, quinquedentati in disco: Semina apice denticulata, pappoque paleaceo, polyphyllo coronata.

Genus novum in Syngenesiâ polygamiâ frustraneâ, ponè Centauream collocandum.

LACELLIA LIBYCA: Foliis caulinis remotè, et decursivè pinnatis, summis integerrimis; floribus paniculatis. Tab. XXII. fig. 2.

(1) Genus novum dixi in honorem Medicinæ Doctoris P. Della Cella Genuensis, olim Auditoris mei, qui Europæorum primus Magnam Syrtem, Cyrenaicam, et Pentapolim descripsit, et huius Floræ species, suis in locis natalibus lectas, mihi benevolè dono dedit.

Caulis erectus, teres, pilis brevibus sparsus, parcè ramosus, ramis paniculatus: Folia caulina decursivè pinnata, suprema linearia, integerrima; pinnæ distantes subopppositæ, lineari-lanceolatæ, remotè dentatæ, in foliis superioribus integerrimæ, foliolo impari duplò, triplovè reliquis longiore: Flores vel in extremis ramis in longum pedunculum nudum elongati, vel axillares longè pedunculati: Pedunculi nudi sæpius uniflori: Calix ovato-cylindricus, hirsutus; foliolis arctè imbricatis, exterioribus ovato-acutis, interioribus sensim longioribus, tandem lineari-lanceolatis, margine nigricante integerrimo: Corolla composita, radiata, discolor: Radius lætè cyaneus, ex flosculis tubulosis, elongatis, filiformibus, sterilibus, calyce duplò longioribus, quinquefidis, laciniis angusto-linearibus, æqualibus: Flosculi disci crocei, hermaphroditi, calyce duplò breviores, tubulosi, profundè quinquedentati, dentibus obtusis, reflexis: Staminum in utrisque flosculis antheræ quinque, in tubum coalitæ, in radio luteæ, in disco violaceo-cyaneæ, exsertæ: Germen in flosculis radii, minimum, obsoletum; stylus nullus: In flosculis disci germen lineare; stylus inclusus; stigma bifidum? Semen, in flosculis disci, lineare, crassum, subcompressum, hirtum, nervis costatum, striisque tranversis sulcatum, apice truncatum, denticulatum: Pappus ex multis paleis imbricatis, exterioribus brevioribus, ovato-acutis, margine ciliato-denticulatis: Receptaculum setoso-paleaceum, setulis argenteis, densis, longitudine flosculorum disci.

H. in montibus Cyrenaicis.

Obs. Habitum omnino *Centaureæ Cyanus* præsefert; at florum structurâ à Centaureæ genere recedit. Elegantissima species, radio cyaneo, flosculisque disci croceis spectatissima.

Expl. Tab. XXII. fig. 2. *a'* flosculus radii; *b'* flosculus disci cum genitalibus, et semine pappo destituto, ut corona denticulorum seminis appareat; *c'* semen cum pappo, flosculo adhuc coronatum.

CALENDULA CRISTAGALLI: Seminibus exterioribus cymbiformibus, dorso triplici ordine latè dentato: interioribus rotundatis, vesciculosis, muticis; calycibus corollam æquantibus; foliis lineari-lanceolatis, denticulato-ciliatis. TAB. XXVI. fig. 2.

Radix annua, simplex: Caulis diffusus, ramosus, pilis brevibus, uti tota planta, sparsus: Folia radicalia, et inferiora sessilia, superiora, et ramea semiamplexicaulia, linearia acuta, et lineari-lanceolata, margine ciliata, pilis veluti è denticulis obsoletis erumpentibus, in plantâ adhuc tenellâ glandulosis: Flores solitarii in extremis ramis in pedunculum elongatis: Calyx 7. mill. longus, cylindricus, foliolis lineari-acutis, conniventibus, dorso hirtis: Corolla ex croceo flavescens, longitudine calycis: Semiflosculorum ligulæ profundè tridentatæ, tubo hispido; Flosculi disci, apicem versùs, intensè purpurei, tubulosi, ore quinquedentato: Antheræ in tubum coalitæ: Stylus, in ligulatis, longitudine tubi; stigma profundè bifidum: Semina radii cymbiformia, incurva, dorso triplici dentium triangularium ordine munita, fertilia; disci exterioris reniformia, vesciculosa, dorso nuda, sterilia; centralia in squamulas abortientia: Receptaculum nudum.

H. in littore Magnæ Syrteos.

Expl. Tab. XXVI. fig. 2. *b* flosculus radii cum germine; *c* flosculus disci cum germine; *d* semen disci vesciculosum: Semina radii, propriis sedibus in eâdem figurâ conspiciuntur.

CALENDULA CERATOSPERMA: Seminibus exterioribus cymbiformibus, dorso latè dentatis, in rostrum nudum, emarginatum porrectis; interioribus vesciculosis, reniformibus, dorso dentato, foliis sessilibus, oblongis, obsoletè dentatis. TAB. XX. fig. 2.

Radix annua, simplex, breviuscula : Caulis à basi ipsâ in ramos divisus, decumbentes, divaricatos, uti et tota planta hispidulos : Folia radicalia oblonga, sensim basim versùs attenuata, superiora et ramea semiamplexicaulia, remotè et obsoletè denticulata, in plantâ juniore dentibus glandulosis : Flores in extremis ramis solitarii : Calix 7. millim. longus, foliolis lineari-acuminatis, dorso nervosis, radio corollæ paulò brevioribus : Corolla lutea : Semiflosculi tubus hirsutus, obliquè germini adnexus, ligula linearis, elliptica, apice acutè, et profundè tridentata : Flosculi quinquedentati, lutei, apicem versùs violacei : Semina radii fertilia, cymbiformia, dorso dentibus triangularibus armato, apice in rostrum longitudine ipsius seminis porrecto, apicè dilatato, truncato-emarginato ; semina disci exteriora reniformia, vesciculosa, dorso unicâ dentium serie, sursum spectantium armato, sterilia : centralia obsoleta : Receptaculum nudum.

H. in littore Magnæ Syrteos, et Pentapolitano.

Obs. Seminum structurâ, unde differentiæ in hoc genere potissimùm desumuntur, corollâque calycem superante, à præcedente, reliquisque congeneribus abundè distincta : Utrasque ex seminibus è libycis siccis plantis excerptis vivas habui, neque ullam in characteribns specificis mutationem perspexi.

Expl. Tab. XX. fig. 2. *à* flosculus ; *'b* semiflosculus cum semine ; *c'* semen radii; *f* aliud semen semiflosculi paulò interioris ; *e*, *f* semina disci exteriora.

CALENDULA ARVENSIS : *Linn. Sp. Pl.* 1303. *Desfont. Fl. atl. II.* 306. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I.* 207. *Ten. Fl. neap. II.* 276. *Seb. et Mau. Fl. rom.* 299. *Savi Fl. pis.* 292. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 682. *Decand. Fl. franç. IV.* 177.

H. in Cyrenaicâ, et in collibus Tripolitanis.

ORCHIS LONGIBRACTEATA : *Biv. Sic. Pl. cent. I. p.* 57. *Tav.* 4. *Viviani Fl. lig. et cors. Herb. Decand. Fl. franç. VI.* 330. O. robertiana : *Lois. Fl. gall. II.* 606. *Tab.* 21.

H. in Cyrenaicæ pascuis.

Obs. Nunc huius pulchræ speciei regio latiùs patet ; nam propè Bonifacium in Corsicâ eamdem reperit D.r Serafinius ; et nuper in pratis Albiganensibus in Liguriâ occidentali D.r A. Sassi. Specimina corsica, ligustica, et libyca nullâ insigni diferentiâ discriminantur.

ARUM PICTUM : *Linn. Fil. suppl.* 410. *Viviani Pl. corsæ et sard. Herb.* A. balearicum *Buch. icon* A. corsicum *Lois* : *Fl. gall. II.* 617.

H. in Cyrenaicâ.

Obs. Nondum in Italiâ, neque in Galliâ repertum, nam species in Floris gallicis inscripta ad Corsicam spectat : Fortasse mediterranei insulas non prætergreditur. Cur à Siculis Botanicis non memoratum ? Haud dubium quòd multùm ipsis adhuc in feracissimâ insulâ investigandum restat. Specimina corsica ab optimo Serafinio habui ; Sardiniam quoqne incolit.

POTERIUM SPINOSUM : *Linn. Sp. Pl.* 1412. *Smith. Fl. gr. Prodr. II. p. II.* 238. *Guss. Cat. Pl. sic.*

H. in rupibus Pentapoleos.

CUPRESSUS SEMPERVIVENS : *Linn. Sp. Pl.* 1422. *Desfont. Fl. atl. II.* 354. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. II.* 248.

H. in totâ Cyrenaicâ.

RICINUS AFRICANUS : *Willd. Sp. Pl. IV. p.* 1. 565. *Desfont. Fl. atl. II.* 355. ubi synonima mixta cum R. communi.

H. Tripoli.

Obs. Eadem species et ipsa peremnis, arborescens, jamdiu in hortis Genuæ culta, et è Corsicâ à D.r Serafinio missa, sub nomine R. *communis*. Clar. Willdenowii auctoritate pro suo R. *africano* nunc speciem hanc Libycam recipio; licet dubia mihi supersint, nam duo reapsè species eodem nomine confusæ fuerint; quòd experimentis institutis id mihi definiendum propono.

SALIX TRIDENTATA: Incana; foliis cuneiformibus, subsessilibus, tridentatis. TAB. VII. fig. 4.

Arbuscula, canescens: Caulis, et rami teretes, leves, indusio quodam argenteo, per ætatem in squamulas defluente, tecti: Folia ex ramulorum rudimentis, bracteolis minimis suffulta, congestim erumpentia, 9 — 12. millim. longa, 6 — 7. lata, subsessilia, cuneiformia, apice truncato, tridentato, dentibus obtusis, pilis brevibus, adpressis utrinque sericea, avenia, canescentia: Flores fœminei in spicam ovatam sessilem, foliorum cæspite circumdatam dispositi; bracteolis rotundato-ovatis, et ovatis acutis, arctè imbricatis, discreti: germen ovatum, styli duo: neque fructum maturum, neque individua mascula vidi: At de Genere haud dubito, et species foliorum formâ, à reliquis, distinctissima.

H. in aggeribus arenosis Magnæ Syrteos.

Expl. Tab. VII. fig. 4. *e* Spica fœminea lente aucta, foliorum cespite excepta.

PISTACIA LENTISCUS: *Linn. Sp. Pl.* 1455. *Desfont. Fl. atl. II.* 365. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. II.* 257. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 337. *Savi Fl. pis. II.* 369. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1891. *Decand. Fl. franç. IV.* 617.

H. in Cyrenaica.

PISTACIA TEREBINTHUS: *Linn. Sp. Pl.* 1455. *Desfont. Fl. atl. II.* 364. *Smith. Fl. gr. Prodr.* 256. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 337. *Viviani Herb. Fl. lig. All. Fl. ped. n.* 1890. *Decand. Fl. franç. IV.* 617.

H. cum præcedente.

PISTACIA VERA: *Linn. Sp. Pl.* 1454. *Desfont. Fl. atl. II.* 363.

β TRIFOLIATA *Decand. Fl. franç. IV.* 616. P. trifoliata *Linn. l. c.*

Obs. Species colitur Tripoli in Hortis. var. β in Cyrenaica frequens.

IUNIPERUS LYCIA: *Linn. Sp. Pl.* 1471. *Viviani Ann. Bot. vol.* 1. *p. II.* 187. cum synonimis. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. II.* 264. *Ten. Fl. neap. All. Fl. ped. n.* 1951. J. phœnicea *Linn. Sp. Pl.* 1471. *Desfont Fl. atl. II.* 371. *Smith. Fl. gr. Prodr. II. p. II.* 264. *Ten. l. c. All. Fl. ped. n.* 1952. *Decand. Fl. franç. III.* 278.

H. passim in montibus Cyrenaicis, ubi in arborem conspicuæ altitudinis elevatur.

Obs. Vide quibus rationibus suffultus sub eâdem specie, in meis Ann. Bot. l. c. J *lyciam, et phœniciam* Linnæi, coniunxerim: Hisce rationibus Clar. Smithium in Fl. gr. Prodromo accessisse gaudeo, qui J. *lyciam, phœniceæ* varietatem suspicatur: Plurimis speciminibus ex Liguriâ, Gallo-Provinciâ, Corsicâ comparatis cum libycis nullam differentiæ notam inveni, unde ne varietatem quidem eiusdem sistere licet: Attamen synonima, quibus in Linnæi Sp. Pl. hæ duo species firmabantur, regionibus referebantur, quas hæc unica species incolit, nunc uno, nunc altero nomine salutata: Clar. Tenore utrasque species nunc etiam in Fl. neap. recenset, quas si severiori examini subiiciet, haud dubito quin et ipse nomine quidem non re diversas recognoscat. A regno neapolitano in Liguriam maritimam transit, ubi in locis ab Allionio notatis unicam speciem incolere, licèt duo ab Allionio memorentur, recognovi.

MUSA PARADISIACA: *Linn. Sp. Pl. Desfont. atl. II.* 376. Mauz Musa *Pros. Alp. Pl. æg.* 83.

Colitur in hortis Dernæ in Cyrenaicâ orientali.

Obs. Est certò eadem species quam cl. Desfontanesius in Barberiæ hortis cultam observavit, ab Ægypto hùc invectam, ubi primùm à P. Alpino descripta fuit. Videant viatores Botanici an et hæc ad M. *Sapientum* cum clarissimis Roxbourgio, Pl. corom. III. p. 73. tab. 275, et L. Colla *Monogr. del genere Musa*, amandanda sit: Hanc verò M. *Sapientum* in varietatem M. *paradisiacæ* nuper recepit ipse Roxbourgius.

VALANTIA HISPIDA: *Linn. Sp. Pl.* 1490. *Desfont. Fl. atl. II.* 389. *Smith Fl. gr. Prodr. I. p. I.* 96. *Sibth Fl. gr. icon.* 138. *Ten. Fl. neap. Viviani Herb. Fl. lig.*

H. Tripoli, et in Cyrenaicâ.

PARIETARIA JUDAICA: *Linn. Sp. Pl.* 1492. *Smith Fl. gr. Prodr. I.* 106. *Ten. Fl. neap. Viviani Herb. Fl. lig. Decand. Fl. franç. III.* 324.

H. in montibus Cyrenaicis.

ATRIPLEX ALBICANS: *Willd. Sp. Pl. vol. IV. p. II.* 962. *n.* 18.

H. in rupibus maritimis Pentapoleos.

Obs. Willdenovii plantæ numerum, quo inter congeneres designatur citare necessarium duxi, quòd duo species diversæ, eodem *albidæ* nomine! sub eodem genere, in suâ Spec. Plant. editione irrepserint.

FICUS CARICA: *Linn. Sp. Pl.* 1513. *Desfont. atl. II.* 396. *Smith Fl. gr. Prodr. II. p. II.* 268. *Ten. Fl. neap. Seb. et Mau. Fl. rom.* 336. *Savi Alb. tosc. I.* 116. *All. Fl. ped. n.* 2114. *Decand. Fl. franç.*

H. in totâ Libyâ.

PHOENIX DACTYLIFERA: *Linn. Sp. Pl.* 1638. *Desfont. atl. II.* 438.

H. in totâ Libyâ, locis arenosis præcipuè culta.

Obs. Præstantissimi huius Palmæ fructus, magnitudine et saporis suavitate cæteros superantes, singulis annis ex *Fessano*, olim Garamantum regione, Tripolim advehuntur.

CHAMÆROPS HUMILIS: *Linn. Sp. Pl.* 1657. *Desfont. Fl. atl. II.* 437. *Guss. Cat. Pl. sic. Ten. Fl. neap. All. Fl. ped. n.* 866.

H. in collibus Tripolitanis.

Obs. Non ultrà Nicæam Boream versùs progreditur; licèt Genuæ aperto cælo culta, singulis annis florem fructumque profferat.

FINIS.

INDEX.

N. *Species charactere italico notatæ hìc tantum vel pro Synonimis, vel in specierum libycarum illustrationem memorantur.*

Acarna cæspitosa. . . . . . Pag. 52.
Adonis microcarpa . . . . . « 29.
Agrostis cærulescens. . . . . . « 5.
Aira pubescens . . . . . « 3.
Allium Chamæmoly . . . . . « 14.
odoratissimum var β . . . . « 14.
Alopecurus litoreus . . . . . « 3.
Alyssum atlanticum . . . . . « 35.
campestre . . . . . « 35.
Amygdalus communis. . . . . « 26.
Anacylus clavatus. . . . . . « 56.
Anagallis arvensis. . . . . « 12.
Anagyris fœtida . . . . . « 22.
Anchusa bracteolata Tab. IV. fig. 2. 3. . . « 10.
ventricosa Tab. VI. fig. 1. . . . « 10.
Anthemis arabica. . . . . « 56.
clavata. . . . . « 56.
maritima . . . . . « 57.
Anthericum trinervium Tab. VIII. fig. 2. . « 21.
Antirrhinum *laxiflorum* var. angustifolium. « 33.
sparteum . . . . . « 33.
spinescens Tab. XXVII. fig. 2. « 32.
tenue Tab. XXI. fig. 5. et 6. « 33.
triphyllum var β. . . . « 33.
virgatum . . . . . « 33.
Anthyllis Barbajovis . . . . . « 43.
vulneraria var β . . . . . « 42.
vulnerarioides. . . . . . « 42.
Apargia hastilis var β Tab. XVI. fig. 1. . « 50.
taraxaciflora Tab. XXII. fig. 1. . « 50.
Apatanthus . . . . . « 54.
Apathanthus crinitus Tab. VII. fig. 3. . . « 54.
Aphyllanthes monspelliensis. . . . . « 19.
Arbutus Unedo . . . . . « 22.
Arenaria serpyllifolia *var.* glandulifera . . « 24.
Artemisia pyromacha Tab. XIII. fig. 5. . « 54.
Arum pictum. . . . . « 60.
balearicum . . . . . « 60.
Asphodelus fistulosus. . . . . « 21.
Astragalus biflorus Tab. XX. fig. 1. . . « 44.
bœticus . . . . . « 45.
epiglottis. . . . . « 45.
excapus . . . . . « 44.
lanigerus . . . . . « 44.
Stella. . . . . « 45.
trimorphus Tab. X. fig. 2. . . « 44.
Athamanta sicula. . . . . « 16.
Athanasia maritima . . . . . « 53.
Atractylis cæspitosa . . . . . « 52.
Atriplex albicans . . . . . Pag. 62.
Avena fatua . . . . . « 6.
sterilis . . . . . « 6.
Biscutella apula . . . . . « 35.
Brassica lyrata . . . . . « 37.
suffruticosa . . . . . « 37.
Bromus canescens. . . . . « 5.
chrysopogon Tab. II. fig. 2. . . « 4.
matritensis . . . . . « 5.
rubens . . . . . « 4.
scoparius. . . . . « 4.
tenuiflorus Tab. II. fig. 1. . . « 5.
Bunias ovalis Tab. XVI. fig. 3. . . . « 35.
Buphthalmum spinosum . . . . . « 57.
asteroideum Lab. XXV. fig. 2. « 57.
Cactus Opuntia . . . . . « 26.
Calendula Crista-galli Tab. XXVI. fig. 2. « 59.
ceratosperma Tab. XX. fig. 2. . « 59.
arvensis . . . . . « 60.
Capparis spinosa var β . . . . . « 26.
rupestris. . . . . . « 26.
Carrichtera Vella . . . . . « 35.
Catananche lutea. . . . . « 52.
Caucalis leptophylla . . . . . « 16.
humilis . . . . . « 16.
Centaurea bimorpha Tab. XXIV. fig. 3. . « 58.
contracta Tab. XXIV. fig. 1. 2. . « 58.
Cyanus . . . . . « 59.
Cerinthe aspera . . . . . « 11.
major var β . . . . . « 11.
Chamærops humilis . . . . . « 62.
Cheiranthus acaulis . . . . . « 36.
parviflorus . . . . . « 37.
Chrysanthemum coronarium. . . . . « 56.
macrocephalum Tab. X. fig. 4. « 56.
pusillum Tab. XIII. fig. 3. « 56.
Chrysurus cynosuroides . . . . . « 4.
Cistus ciliatus. . . . . « 27.
ellipticus . . . . . « 28.
lanuginosus Tab. XIV. fig. 3. . . « 28.
micranthus Tab. XIV. fig. 4. . . « 28.
parviflorus. . . . . « 28.
roseus . . . . . « 27.
ruficomus Tab. XIV. fig. 5. . . « 27.
salvifolius . . . . . « 28.
syrticus Tab. XIV. fig. 2. . . . « 27.
Citysus spinosus . . . . . « 40.
Convolvulus arvensis. . . . . « 12.
Altheoides . . . . . « 12.

Convulvulus *hirsutus*. . . . . Pag. 12.
lineatus . . . . . cc 12.
tenuissimus . . . . . cc 12.
tricolor. . . . . cc 12.
Coris monspelliensis . . . . . cc 13.
Crepis filiformis Tab. XXI. fig. 1. . . cc 52.
nigricans Tab. X. fi. 3. . . . . 51.
nudiflora Tab. XIII. fig. 2. . . cc 51.
Cupressus sempervivens . . . . . cc 60.
Cynoglossum clavatum Tab. V. fig. 2. . cc 11.
Cynosurus aureus. . . . . cc 4.
echinatus. . . . . cc 4.
Dianthus prolifer var δ . . . . . cc 23.
Diotis candidissima . . . . . cc 53.
Diploprion . . . . . cc 48.
Diploprion medicaginoides Tab. XIX. fig. 2. cc 48.
Echiochylon fruticosum . . . . . cc 9.
Echium distachyum Tab. V. fig. 1. . . cc 8.
grandiflorum . . . . . cc 8.
macranthum . . . . . cc 8.
prostratum . . . . . cc 9.
sericeum . . . . . cc 9.
setosum . . . . . cc 9.
spathulatum Tab. IX. fig. 1. . cc 8.
Erodium asplenioides. . . . . cc 38.
gruinum. . . . . cc 38.
Gussonii. . . . . cc 38.
laciniatum . . . . . cc 38.
supracanum. . . . . cc 58.
tordilioides . . . . . cc 39.
Ervum monanthos. . . . . cc 42.
Euphorbia *ceratocarpa* . . . . . cc 25.
dendroides . . . . . cc 26.
heterophylla var β . . . . cc 25.
helioscopia var β . . . . cc 26.
Paralias . . . . . cc 25.
Peplus. . . . . cc 26.
var minor. . . . cc 26.
seticornis . . . . . cc 25.
spinosa . . . . . cc 26.
trapezoidalis Tab. IV. fig. 1. . cc 25.
Fagonia cretica . . . . . 22.
Fedia Cornucopia. . . . . cc 2.
coronata . . . . . cc 2.
dentata. . . . . cc 2.
Ferula communis. . . . . cc 16.
nodiflora . . . . . cc 16.
Opoponax. . . . . cc 16.
sulcata . . . . . cc 16.
tingitana . . . . . cc 16.
Filago maritima. . . . . cc 53.
Frankenia hirsuta. . . . . cc 22.
Fumaria officinalis . . . . . Pag. 39.
parviflora . . . . . cc 39.
Geranium dissectum . . . . . cc 39.
hirtum. . . . . cc 39.
laciniatum. . . . . cc 38.
purpureum. . . . . cc 39.
robertiarum *var* β . . . . cc 39.
tuberosum. . . . . cc 39.
Glaucium violaceum var α . . . . . cc 27.
Globularia Alypum . . . . . cc 7.
Gnaphalium conglobatum Tab. III. fig. 5 . cc 55.
italicum. . . . . cc 55.
Stœchas. . . . . cc 55.
Gymnocarpos decandrum Tab. X. fig. 1. . cc 13.
Hedypnois laciniflora Tab. XVII. fig. 2. . cc 52.
Herniaria hirsuta . . . . . cc 15.
Hesperis nitens Tab. V. fig. 5. . . . . cc 38.
Hieracium simplex Tab. XIII. fig. 4. . . cc 50.
Hyacinthus sessiliflorus Tab. VII. fig. 2. . cc 21.
spicatus . . . . . cc . cc 21.
botryoides . . . . . cc 21.
Hypecoum æquilobum Tab. III. fig. 1. . cc 8.
Koeleria villosa . . . . . cc 3.
Illecebrum Paronychia . . . . . cc 13.
Iris *fugax*. . . . . cc 3.
juncea. . . . . cc 3.
Sisyrinchium. . . . . cc 3.
syrtica Tab. 1. fig. 1 . . . . . cc 3.
tuberosa . . . . . cc 3.
Juniperus lycia. . . . . cc 61.
phœnicea . . . . . cc 61.
Lacellia . . . . . cc 58.
Lacellia libyca Tab. XXV. fig. 1. . . . cc 58.
Lamarckia aurea. . . . . cc 4.
Lathyrus Aphaca . . . . . cc 43.
Cicera . . . . . cc 43.
monanthos . . . . . cc 42.
Laurus nobilis. . . . . cc 22.
Lawsonia inermis. . . . . cc 22.
Linaria *ægyptiaca* . . . . . cc 32.
fruticosa. . . . . cc 32.
laxiflora . . . . . cc 33
spartea . . . . . cc 33.
Linum decumbens . . . . . cc 19.
narbonnense . . . . . cc 19.
Lithospermum micranthum Tab. I. fig. 4. cc 10.
Lonicera *caprifolium*. . . . . cc 12.
cyrenaica Tab. VIII. fig. 1. . . cc 12.
Lotus creticus . . . . . cc 46.
cytisoides . . . . . cc 47.
edulis . . . . . cc 47.
hirsutus. . . . . cc 48.

Lotus pusillus Tab. XVII. fig. 3. . . Pag. 47.
secundiflorus Tab. XXI. fig. 3. . . cc 46.
sericeus. . . . . cc 48.
unibracteatus Tab. XVIII. fig. 4. . cc 48.
Lunaria libyca Tab. XVI. fig. 1. . . . cc 34.
Lycium europæum . . . . . cc 13.
afrum. . . . . cc 13.
Malva sylvestris . . . . . cc 39.
Mathiola acaulis . . . . . cc 36.
parviflora . . . . . cc 37.
Medicago Char. gen. reformatus . . . cc 49.
Melica *aspera*. . . . . cc 4.
cyrenaica Tab. XXV. fig. 1. . . cc 4.
minuta . . . . . cc 4.
nutans . . . . . cc 4.
pyramidalis . . . . . cc 4.
saxatilis . . . . . cc 4.
Melilotus sulcata. . . . . cc 25.
Milium cœrulescens . . . . . cc 5.
Moricandia arvensis var. β . . . . . cc 37.
Musa paradisiaca var. β . . . . . cc 62.
Sapientum . . . . . cc 62.
Muscari maritimum . . . . . cc 21.
Myosotis tenuiflora Tab. I. fig. 3. . . cc 9.
Myrrhis australis. . . . . cc 16.
Myrtus communis. . . . . cc 26.
Narcissus serotinus. . . . . cc 19.
Nasturtium palustre . . . . . cc 36.
Nepeta Scorditis Tab. VI. fig. 2. . . . cc 29.
Nerium Oleander. . . . . cc 14.
Nonea phaneranthera Tab. I. fig. 3. . . cc 9.
Olea europæa. . . . . cc 1.
Ononis calycina Tab. XVIII. fig. 2. . . cc 41.
falcata Tab. XVIII. fig. 3. . . cc 41.
vaginalis Tab. IV. fig. 4. . . . cc 41.
vestita Tab. XVIII. fig. 1. . . . cc 40.
villosissima . . . . . cc 42.
Onosma echinata Tab. XXVI. fig. 3. . . cc 11.
simplicissima. . . . . cc 11.
Orchis longibracteata. . . . . cc 60.
robertiana. . . . . cc 60.
Orobanche compacta Tab. XXV. fig. 2. . cc 34.
fœtida . . . . . cc 34.
major . . . . . cc 34.
violacea . . . . . cc 34.
Ornithogalum fibrosum var. β . . . . cc 19.
narbonense . . . . . cc 20.
pyrenaicum . . . . . cc 20.
umbellatum . . . . . cc 20.
Ornithopus scorpioides . . . . . cc 43.
Oxalis libyca Tab. XIII. fig. 1. . . . cc 24.
Papaver hybridum . . . . . cc 27.
Papaver Rhœas . . . . . Pag. 27.
Parentucellia . . . . . cc 31.
Parentucellia floribunda Tab. XXI. fig. 2. . cc 32.
Parietaria judaica . . . . . cc 62.
Paronychia argentea . . . . . cc 22.
Passerina hirsuta . . . . . cc 22.
Pastinaca Opoponax. . . . . cc 16.
Periploca rigida Tab. VI. fig. 3, et 4. . cc 14.
Phalaris *Barrelieri* . . . . . cc 3.
canariensis. . . . . cc 3.
pubescens . . . . . cc 3.
Phelypea violacea. . . . . cc 34.
Phillyrea angustifolia. . . . . cc 1.
Phlomis samia Tab. XV. fig. 2. . . . cc 30.
Phœnix dactylifera . . . . . cc 62.
Picridium tingitanum . . . . . cc 50.
Pistacia Lentiscus. . . . . cc 61.
Terebinthus . . . . . cc 61.
trifoliata . . . . . cc 61.
vera . . . . . cc 61.
Pituranthos . . . . . cc 15.
denudatum Tab. VII. fig. 1, et 2. cc 15.
Plantago lagopoides . . . . . cc 7.
syrtica Tab. III. fig. 2. . . . cc 7.
Polygonum maritimum . . . . . cc 22.
Poterium spinosum . . . . . cc 60.
Prasium majus . . . . . cc 31.
minus . . . . . cc 31.
Punica Granatum . . . . . cc 26.
Ranunculus asiaticus . . . . . cc 29.
hederaceus . . . . . cc 29.
saniculæfolius Tab. XI. fig. 2. cc 29.
Raphanus amplexicaulis Tab. III. fig. 4. . cc 37.
pinnatus Tab. XVI. fig. 4. . . cc 37.
Rhamnus Alaternus . . . . . cc 13.
Zizyphus . . . . . cc 13.
Ricinus africanus . . . . . cc 60.
communis. . . . . cc 60.
Rumex bucephalophorus . . . . . cc 22.
spinosus . . . . . cc 22.
Salicornia herbacea var. β. . . . . cc 1.
fruticosa . . . . . cc 1.
radicans . . . . . cc 1.
Salix tridentata Tab. VII. fig. 4. . . . cc 61.
Salsola fruticosa . . . . . cc 15.
Salvia clandestina *var.* α, β, γ . . . cc 2.
multifida . . . . . cc 2.
polymorpha . . . . . cc 2.
Spielmanni. . . . . cc 2.
verbenaca. . . . . cc 2.
Santolina maritima . . . . . cc 53.
Satureja nervosa . . . . . cc 29.

Savignia ægyptiaca . . . . . Pag. 55.
Scabiosa rhizantha Tab. III. fig. 1. . . . « 6.
Scandix australis . . . . . « 16.
Scilla maritima . . . . . « 21.
peruviana . . . . . « 20.
undulata . . . . . « 20.
Scorpiurus acutifolia Tab. XIX. fig. 4. . « 43.
Scorzonera serrulata Tab. XVII. fig. 2. . « 48.
Sedum bracteatum Tab. VIII. fig. 3. . . « 24.
cæruleum . . . . . « 24.
Senecio coronopifolius . . . . . « 55.
laxiflorus Tab. XI. fig. 3. . . . « 55.
Sherardia arvensis . . . « . . . « 7.
muralis. . . . . « 7.
Silene articulata Tab. XII. fig. 1. . . . « 23.
cryptantha Tab. IX. fig. 3. . . . « 23.
ligulata Tab. XII. fig. 3. . . . « 24.
nocturna . . . . . « 23.
setacea Tab. XII. fig. 2. . . . « 23.
spicata var. *α*. . . . . « 23.
Sisymbrium cinereum. . . . . « 36.
coronopifolium. . . . . « 36.
erysimoides. . . . . « 36.
murale . . . . . « 36.
simplex Tab. XVI. fig. 2. . « 36.
Sium *nodiflorum*. . . . . « 17.
radiatum Tab. IX. fig. 2. . . . « 16.
Sonchus tingitanus . . . . . « 50.
Spartium monospermum. . . . . « 39.
rigidum Tab. XVII. fig. 1. . . « 40.
sphœrocarpum. . . . . « 40.
spinosum . . . . . « 40.
villosum . . . . . « 40.
Stæhelina Chamæpeuce Tab. XXIII. . . « 53.
Statice ægyptiaca. . . . . « 18.
aphylla . . . . . « 18.
furfuracea . . . . . « 18.
monopetala . . . . . « 17.
pruinosa Tab. XXVII. fig. 1. . . « 17.
Statice Thouinii Tab. XI. fig. 1. . . Pag. 18.
tubiflora . . . . . « 18.
Stipa tortilis . . . . . « 6.
Stipa *paleacea*. . . . . « 6.
juncea . . . . . « 6.
Teucrium flavum . . . . . « 19.
lucidum. . . . . « 19.
Thapsia garganica . . . . . « 17.
Silphium. . . . . « 17.
Thymus hirtus Tab. XIV. fig. 1. . . . « 30.
Trianthema fruticosa . . . . . « 16.
Trifolium agrarium . . . . . « 46.
angustifolium *var. α.* . . . « 46.
var. β. . . . « 46.
lævigatum . . . . . « 46.
mauritanicum . . . . . « 45.
messanense. . . . . « 45.
micranthum Tab. XIX. fig. 1. . « 45.
scabrum . . . . . « 45.
strictum . . . . . « 46.
sulcatum . . . . . « 45.
tomentosum . . . . . « 45.
Trigonella petiolaris Tab. XVIII. fig. 5. . « 49.
Triticum *festucoides* . . . . . « 6.
hispanicum. . . . . « 6.
maritimum . . . . . « 6.
tenuiculum. . . . . « 6.
Valeriana Cornucopia. . . . . « 2.
Locusta *var. γ*. . . . . « 3.
var. *δ*. . . . . « 2.
Vicia intermedia Tab. XIX. fig. 1. . . « 42.
lathyroides. . . . . « 43.
monanthos. . . . . « 42.
var. *γ* angustifolia. . . « 42.
sativa . . . . . « 43.
Vitis vinifera . . . . . « 13.
Zizyphus Lotus . . . . . « 13.
Sativa. . . . . « 13.
vulgaris. . . . . « 13.

Corrigenda.

Pag. 4. *lin.* 4. *post* Tab. XV. fig. 1. *adde* fig. *a* spicula.
« 6. *post diagnosim* SCAB rhizanthae *adde* Tab. III. fig. 1. *a* flosculus ; *b* semen.
« 7. *post diagnosim* HYPECOI aequilobi *adde* Tab. III. fig. 3.
« 21. *lin.* 25. *a lege à.*
« 23. « 18. fig. 2. Flos *lege* fig. 2. à Flos.
« 32. « 22. secta ; capsula *lege* secta ; *f.* capsula.
« 35. « 7. secundus *lege* sècundo.
« 47. « 22. oscitantia *lege* hæsitantia.

Novarum specierum Diagnosis, quæ in altero FLORAE ITALICAE FRAGMENTO *descriptione et icone illustratæ comprehendentur, quibus Plantarum italicarum minùs cognitarum Centuria accedet.*

VALERIANA TRINERVIS : Foliis omnibus simplicibus, ellipticis, in brevem petiolum attenuatis, integerrimis, trinerviis; floribus corymbosis.

H. in Corsicâ, *alla Trinità.*

CYNOSURUS GRACILIS: Culmo erecto, paniculâ spicatâ, gracili, secundâ; bracteis disticis, lineari-aristatis, supremis in calycem abeuntibus, uniflorum; glumâ exteriore corollæ ovatâ aristatâ, interiorem muticam basi amplexante.

H. in Corsicæ monte *Coscione.*

SCABIOSA CORNUCOPIA : Hirsuta; corollullis quinquefidis; foliis radicalibus ellipticis, dentatis, caulinis pinnatis; flosculis pedunculatis; calyculo exteriore trifido; semine squamis excepto, triaristato.

Scabiosa panormitana purpurea, folio profundè laciniato; umbellatim prolifera *Cupani Pamph. Sic.* 44.

H. in Valle *Andora* Liguriæ occiduæ, et in Siciliâ.

SAGINA URCEOLATA : Glabra, foliis subulatis aristatis, in urceolum membranaceum connatis; pedunculis axillaribus, subtrifloris; foliolis calycinis ovatis; floribus apetalis.

H. in Corsicæ montibus.

CAMPANULA FLORIBUNDA : Lactescens, hirta, decumbens; caule flexuoso; foliis inferioribus reniformibus, reliquis ovato-orbiculatis, ovatisque, omnibus serrato-dentatis; floribus corymbosis, corollis campanulato-rotatis, triplò calycem superantibus.

H. in rupibus maritimis Liguriæ occiduæ, *Caprazoppa*, *Capo di Noli.*

CONVOLVULUS SABATIUS : suffruticosus, decumbens, villosus; foliis rotundato-ovatis, subemarginatis; pedunculis axillaribus duplò petiolum superantibus, bifloris, triflorisve, calycibus ovatis, foliolis ovato-acuminatis.

H. in Liguriâ occiduâ *Capo di Noli*, ad Vada Sabatia.

Obs. Proximus americanæ speciei C. *nummulario* Vahl.

CHENOPOIDUM SECUNDIFLORUM : Herbaceum, glaberrimum, ramosissimum; spicis pedunculatis axillaribus, dichotomis; floribus secundis, remotis, ramulis apice aristatis.

H. ad scaturiginem aquæ salsæ secus Trebiam, propè Bobbium, in Apenninis ligusticis.

Obs. Affine sibiricæ speciei C. *aristato.*

SILENE XERANTHEMA : Hirsuta; foliis lanceolatis, sessilibus; pedunculis axillaribus, oppositis, subunifloris; calycibus elongatis submembranaceis, glanduloso-hirsutis; petalis semibifidis, unguibus exsertis; capsulis elliptico-clavatis.

H. in Corsicâ, prope *Bonifacio*

CERASTIUM HETEROPHYLLUM : Foliis glabriusculis, inferioribus ovatis, superioribus lineari-lanceolatis; calycibus hirsutis, corollam subæquantibus; capsulis rotundis.

H. in Corsicæ montibus.

ROSA SERAFINII : Germinibus oblongis, pedunculisque glabris; caule petiolisque crebrò aculeatis, aculeis reurvis, falcatis; stipulis ovatis; foliolis subrotundis, duplicato-serratis, dentibus glandulosis.

H. in Monte *Coscione* in Corsicâ.

ANTIRRHINUM ALSINAEFOLIUM: Pilis patentibus hirsutissimum; foliis ovatis acutis, in pe-

tiolum attenuatis, inferioribus oppositis, superioribus alternis; floribus axillaribus, foliolis calycinis lineari-setaceis, calcare subulato, recto.

H. in litore boreali-orientali Sardiniæ.

ANTIRRHINUM AEQUITRILOBUM: Pilosum; caule repente; foliis omnibus trilobis, lobis rotundatis, integerrimis, subæqualibus; pedunculis axillaribus, filiformibus, elongatis calcare brevi.

H. in Corsicâ: ad rupes humentes serpit: *alla Trinità.*

SISYMBRIUM MONANTHOS: Scapo nudo, unifloro; petalis calycem subæquantibus; foliis pinnatis, foliolis sessilibus, triangulari-falcatis.

H. prope *Bonifacio*, in Corsicâ.

HIERACIUM PRIMULAEFOLIUM: Scapo nudo, unifloro; foliis ovalibus, obsoletè denticulatis, in crassum petiolum subdecurrentibus: calycibus corollam subæquantibus.

H. in Sardiniâ.

ONOPORDUM HORRIDUM: caule multifariam alato, alis triangulari-dentatis, spinosis, in calycem confluentibus; squamis calycinis ovato-lanceolatis, spinosis, omnibus tandem reflexis.

H. prope *Bonifacio*, in Corsicâ.

CINARA CORSICA: Foliis caulinis sessilibus, decursivè pinnatis, pinnis elongatis, lineari-acuminatis, remotè dentato-incisis, dentibus laciniisque longè spinosis; squamis calycinis ovatis, abruptè in longam spinam erecto-patentem abeuntibus.

H. propè *Bonifacio*, in Corsicâ.

CARLINA RADIATA: Foliis caulinis semiamplexicaulibus, lanceolato-linearibus, dentato-pinnatifidis, dentibus spinosis; calycibus involucro pentaphyllo, duplò florem superante, munitis; receptaculi paleis flosculo brevioribus, integerrimis.

H. in parvis insulis inter Sardiniam, et Corsicam positis.

CARLINA LONGIFOLIA: Caule simplici, erecto; foliis inferioribus lineari-lanceolatis, longè in petiolum attenuatis, caulinis superioribus ovato-acutis, omnibus remotè dentato-spinosis; floribus terminalibus; calyce foliis linearibus, ciliato-spinulosis, obvallato.

H. in alpibus maritimis Liguriæ occiduæ.

SENECIO CINERARIOIDES: Canescens, radiatus, frutescens: foliis inferioribus lyratis, caulinis pectinato-pinnatifidis, laciniis integerrimis; caule erecto corymboso; calycibus globosis; foliolis calycis ovato-acutis, calyculi linearibus.

H. in Corsicâ.

SOLIDAGO NUDIFLORA: Glabra; pedunculis axillaribus, filiformibus, nudis, apice 1 — 2 floris, bracteis in calycem confluentibus; foliis ellipticis acutis, basim versùs attenuatis, summis integerrimis.

H. in Corsicâ *Talano.*

ASPLENIUM OBOVATUM: Fonde lanceolatâ, bipinnatâ; pinnis, pinnulisque exterioribus confluentibus, in rachide partiali, et universali decurrentibus, obovatis, obsoletè dentato-crenatis; soris distinctis, raris.

H. in Corsicâ: in Monte *La Trinità.*

Vidit. D. P. PICCONI
pro Illmo et R.^{mo} Archiep.

Visto. Se ne permette la stampa.
Genova li 17 *gennajo* 1824.
I. ASSERETO
Senatore Revisore per la Gran Cancelleria.

a

b

c

d

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

k

i

l

m

h

g

P.J. Viviani del.

Fig: 2.

Fig: 1

P. Vignani del.

Fig. 4.

l

m

Fig. 5.

Fig. 5.

n

o

p

q

f

h

g

e

Fig. 2.

Fig. 1.

a

b

c

d

Prof. Viviani del.

Prof Viviani dis.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

a

b

c

d

e

f

g

h

Prof. Viviani del

Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 4.

P.f Vivarini dis.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 5.



Fig. 4.



Fig. 3.

Viviani del.

Fig:1.

Fig:2

Fig:3.

Viviani del.

Fig: 1.

Fig: 2.

Fig: 3.



Fig. 1.ª



Fig. 3.ª

Fig. 2.ª





Fig. 4.ª

Gf. Viviani del.

G.P. in.

Fig. 1.

Fig. 3.



Fig. 2

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

f. Viviani del.

Aerioni inc.



Fig. 1.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 2.

Fig. 3.

Prof. Viviani del.

Fig 2.

h g f e

Fig 4

q p o

Fig. 1.

Fig. 5.

u

t s r

Fig. 3.

n m l

d c b a

Fig. 2.

Fig. 2.

Prof. Viviani dis.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

C. Viviani dis.

Fig. 1.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 4.



a b c

Fig. 5.

a b c d e

of Viviani del.



Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 4.

Fig. 3.



Pf. Viviani. del.
Arrigoni inc.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Prof. Viviani del.

Fig: 2.

Fig: 1.

c. Viviani del.

Prof. Viviani del

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

rof. Viviani del.

Fig. 1.

Fig. 2.

a

b

c

a



Prof. Vivian del

Fig. 2.

Fig. 1.

Prof. Viviani del.